2. 304

Digitized by Google



Digitized by Google

3 10. 8. 304

DE FIRMANÆ URBIS
ORIGINE, ATQUE ORNAMENTIS

Ad Emũm, ac Rmũm Dnũm, Dnũm

JOANNEM FRANCISCUM

S. R. E. CARD. DECANUM ALBANI

HOSTIENS. AC VELITERN. EPISCOPUM

DOMINICI MAGGIORI FIRMANI

LIBER.

FIRMI MDCCLXXXIX.

Excudebat Joſephus Alexander Paccaſaſſi

)(*Superiorum permiſſu.*)(

A.1.4.8

Digitized by Google

4

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

OPuſculum de Firmanæ Urbis origine, & ornamentis, quod modo e typis meis in lucem prodit, poſthumum eſt; Auctor enim V. Id. Julii proxime elapſi anni diem ſupremum obiit plurimos ſui deſiderio vulneratos, & maximo dolore confectos relinquens. Illud formis meis excudendum multorum perſuaſione motus aſſumpſi; nec diu, multumque dubi-

tandum mihi fuit, cui illud ſiſtere oporteret; Tibi enim, CARDINALIS AMPLISSIME, *Librum hunc inſcripſerat auctor, & Te in ſui ſimul, & operis Patronum expoſcebat in præfatione Libro ab eo præmiſſa, quam ex integro infra referam. Æquum itaque erat, ut per me auctoris vota ſolverentur tibi opus hoc nuncupando. Nullatenus vereor, quin iſtud æquo animo accepturus ſis; quod enim tibi ſiſtitur, tuum erat, tibique redditur, quod jure ad Te pertinebat. Nihil quidem eſt in me, quod gratiam tuam promereatur; tamen, dum exequor hoc juſtitiæ debitum, ſpero me illam conſecuturum a ſumma humanitate tua, qua, licet maximus ſis, ſoles in tui clientelam minimos etiam & immerentes recipere. Idem mihi ſpondeo ex operis merito, & ex præſtantia auctoris de literaria republica optime meriti ob ſummam, qua in omni fere ſcientiarū genere pollebat, eruditionem. Quanto in honore ipſe ſemper fuerit apud ſuos Cives, exteroſque, dignoſcitur ex compendiario quidem ſed magnifico elogio, quod de eo vir Clariſſimus (*) poſt ejus obitum conſcripſit. Unum igitur hic ſupereſt,* EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS, *ut Te orem, atque obteſter, ut ea, qua Opus, benignitate reſpicias ejus Editorem. Hoc eſt, quod vehementer exopto, hoc Te ſtudio quammaximo rogo, & obſecro, dum ad tui pedes provolutus, & Sacram Purpuram reverenter exoſculans me, familiamque meam validiſſimo patrocinio tuo humillime commendo.*

Eminentiæ Tuæ Reverendiſſimæ

Firmi XIII. Calend. Septembr. an. 1789.

Humillimus, ac Devotiſſimus Servus
Joſephus Alexander Paccaſaſſi Typographus.

(*) Comes Vincentius Sabbioni Firm. Patric. celebris J&Cũs, & vir literis omnibus excultus diem ſuum obiit ex inopinato VI. Id. Jul. hujus anni maximo civium omnium mœrore. Hic fuit ſemper æquus meriti æſtimator, nullaque affectus cupiditate de rebus, ac de perſonis judicavit. Hic auctoris merito dignum, ac publicum reddere volens officium ſequentem in ejus laudem inſcriptionem elaboravit.

DOMINICUS. MAGGIORIUS.
LATINIS. GRÆCISQUE. LITERIS.
ERUDITUS.
SACERDOS. PRISCIS. MORIBUS.
DOCTRINA. AC. SANCTIMONIA.
PAR. NEMINI.
OMNES. AMPLECTI. DOCERE. OPITULARI.
OMNIBUS.
DEO. AC. MUSIS. CASTE. QUOTIDIE.
LITAVIT.
TOTA. EUM. NON. LATUIT. ANTIQUITAS.
SUMMA. LENITATE.
USQUE. AD. EXTREMUM.
INGENUIS. ARTIBUS. IMBUIT.
ADOLESCENTES.
QUAM. VIVENS. NON. EFFUGIT.
FATO. FUNCTUS. VICIT. INVIDIAM.
FIRMANI. CIVES. UNIVERSI.
VIRO. OPTIMO. LACRYMIS.
PARENTARUNT.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

OPtimo quidem jure decrevi, EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE, *exiguum hunc libellum, quo Patriæ meæ laudes, ac noſtratium Virorum res geſtas rudi carmine ſum proſecutus, ſagaciſſimis oculis tuis ſubmittere, & frontem ejus ſplendore tui nominis illuſtrare. Hoc ut facerem, multa me ſerio cogitantem impulerunt. Primum Tua in me, fratremque meum collata beneficia, deinde cum tua dignitas, tum ipſius operis argumentum. Clariora propemodum ſunt, quam ut verbis abunde explicari poſſint Tuæ clementiæ, atque humanitatis officia, quibus me,*

totamque familiam demeruiſti . Quæ cum agis , etſi excellenti naturæ Tuæ indulgens, meritorum vicem non expectas; tamen, quominus aliquem grati animi ſenſum proferre nitar, impedire non potes . Nec vero inſtituti operis ratio a Tua dignitate videtur eſſe aliena. Sive enim longe intuear tuæ Gentis Stemmata, ſive totius Provinciæ hujus aſſumpta defenſio , atque præſidium, utrumque a me ſane poſtulabat, ut ſi qui menti occurrerent præſtantiſſimi Viri, quibus Carmen inſcriberem, Te unum præferrem cæteris. Clariſſimum Familiæ tuæ nomen ab Epiro longa temporum ſucceſſione deſumptum, apud Iſauriæ Duces rebus geſtis, & fide gratiſſimum, honeſtiſſimumque, priuſquam Latinis faſcibus, & Imperii amplitudine ditaretur, cum Urbe Firmana non obſcura neceſſitudine copulari debuit, inſpecta vicinitate locorum. Magna ſiquidem cum iis gentibus conjunctio, & ſocietas antiquis illis temporibus interceſſit. Cum vero Tuæ curæ totius Piceni regio demandata ſit, in qua non ignobilis Firmanæ Præfecturæ ambitus continetur, æquiſſimum erat, ut meum hoc in Patriam ſtudium, ad Te, tuique ornamentum referrem. Si Te denique in tuorum dignitate, ac Virtute majorum, quorum viva es in primis imago, diligenter inſpiciam, jure meum confirmari video, augerique conſilium. Erunt fortaſſe, qui me carpant, ſeveri nimis, atque invidi obtrectatores; ſed eos certe judicio tuo graviſſimo, & maximo, quo probamur, aut deterritos, aut minus audaces fore confido. Etenim quis eſt humanarum rerum ita rudis, atque hoſpes in tota Fidelium republica, qui neſciat, quanta ſit auctoritas tua, quantum nomen, quanta doctrina? Eximia jam, ac ſingularis illa, qua polles, ad explicanda Regum, atque exterarum gentium negotia dexteritas, tuarum in Conciliis omnibus, quæ Romæ habentur, ſententia-

Digitized by Google

rum gravitas, ſumma denique, ac prope divina dicendi copia, qua mirifice pertrahis, eſt profectò omnibus plane explorata. Qui porro intuetur, aut frontis majeſtatem, aut oculorum vim, aut oris dignitatem, aut ſermonis eloquentiam, (quæ quidem Albanæ familiæ ita ſunt, ut cui illa deſint, inde eſſe non poſſit) ad Tui admirationem, non conſuetudine ſolum, uſuque, ſed primo etiam obtutu rapi ſe vehementer, atque affici videt. Te porro, ut paucis omnia complectar, juſtitiæ vindicem, populi ſalutem, Romanæ Ditionis tutelam, magnitudinis, providentiæ, conſilii miraculum, atque adeo magni illius Patrui Tui Clementis, ceu novi Leonis infeliciſſimis temporibus reipublicæ divinitus dati formam veluti, ac ſpeciem univerſi intelligunt, ac fatentur. Quid plura? Non Te ſolum, ſed tot etiam ampliſſimæ familiæ Viros, ac Nepotes, dignitatis, laudis, & ingenii hæredes, atque æmulos ad communem omnium felicitatem, ſpemque futuri temporis Deus Opt. Max. excitavit. Hæc ſunt clientelæ meæ præſidia, hæc ornamenta ſtudiorum, hæc animi fiducia, qua erectus me, meumque libellum Tibi dicavi. Felicem illum, & me una, ſi, quod ſpero, benigne admiſeris, & vultu, quo cætera ſoles, dignabere; idque ut aſſequar, etiam, atque etiam Te rogo; & ea, qua par eſt, demiſſione, atque obſequio ſacram purpuram ad pedes provolutus exoſculor

Eminentiæ Tuæ Rmæ

Firmi Calend. Novembr. M. DCC. LXXXVI.

Addictiſſimus Cliens
Dominicus Maggiori Ludimag.

12

Digitized by Google

SI meus, extremæ velut indigeſta ſenectæ
Materies, nulla fuſus hic arte labor
Audeat ante tuos aliquando accedere vultus,
Qua Patrem Tempe ſeu Veliterna vident;
Seu gravibus Romana intra pomaria tandem
Digreſſum curis hoſpita Muſa levat,
Franciſce, Albanum lumen, generoſa propago
Ducta ab Iſauricolis (*a*), fons ubi manat, avis,
Vivida Clementis forma (*b*), ingeniumque ſuperſtes,
Cui non priſca ætas protulit ulla parem;
Hoc quodcumque meæ furtiva per otia carmen
Complexum faſtos Urbis, & Iliadas
Sublege, livorem fugitans, atque invida tela:
Auſpice Te, hic timeat quæ ſibi fata liber?
Forſan erit, qui tale videns languente Minerva
Natum opus, & Pythio nil animante Deo,
Damnet iners ævum, cui jam deferbuit ardor
Pieriæ mentis, nec prior illa ſitis;
Haurire ut ſacros latices, docilemque juventam
Dux ad Gorgoneam ſiſtere poſſit aquam;

(a) *Urbinatibus.* URBINUM *ad fontes Iſauri fluv.*
(b) *Clementis XI. Pontif. Max. pietate, doctrina, & eloquentia clariſſimi, ex Albanorum familia.*

Unde appendenda ad ſalicem teſtudo poetæ,
Et rude jam donet feſſa Thalia ſenem.
Et ſeptemdenos tangat quod Cynthius orbes,
Dicant e campo ſolvere tempus equum.
Ceu non utentem naturæ ſenſibus, o Dii,
Quot ſcelera! Hæc, te uno vindice, vana cadent.
Integra mens vati, ſolidæque ad munera vires;
Non hebetat pelagi turba diurna caput.
Innocuam quater evaſit trieterida; teſtis
Curia, & excludens ductilis urna canem.
Numine propulſanda tuo eſt aquilonia nubes,
Terrendæque graves in mea damna minæ.
Hac ſpe tuta novæ blanditur Muſa quieti,
Et redit Aonio Pegaſis ala jugo.
Jamque mihi, per Te, refluunt Permeſſides undæ,
Aridaque ora bibunt, ingeriturque furor.
Perge, o præſidium, tutelaque noſtra, fovere
Qualeſcumque auſus: Te mea vota petunt.
Pacta diu illa audet tantæ ſe credere luci,
Unde priora hauſi vitæ elementa puer,
Piceni Regina parens, doteſque recenſet,
Queis natura libens auxit, & ipſe Deus.
Si natale ſolum, prima & ſpectetur origo,
Omnibus una quidem nobilitate præit.
Olli majeſtas, qualem decet eſſe Deorum
Matri, cui reliquis latior ora ſubeſt.
Hinc Apennino, atque hinc amnibus intercepta,
Et lambit dominos ora Adriana pedes.
Centum illi famulæ (*a*), ſociæque fidelia circum
Oſcula dant dextræ, quæque tributa ferunt.

(*a*) *Firmana olim Caſtra, ſeu Vici fuere octoginta: V. Veteris Statuti lib.* 2. *Rubr.* 25., *ad calcem hujus operis; quibus plura Oppida addenda. V.* Firmum Regeſtum

Sumeret ipſa olim, ſeu poneret arbitra veſtem,
Ingenio dicta eſt, fama, opibuſque (*a*) potens.
Cara Quirinali inprimis, atque hoſpita, Regum
Deliciæ, & magni Cæſaris unus amor (*b*).
Quo non tanta ſono tollenda ad ſidera mater?
Credite, Mæoniam poſceret illa tubam.
Si dabit huic impar oneri pars ultima vitæ,
Volvere maternam coner ut hiſtoriam;
Non me deficiant animi, non copia rerum
Obruat, & magni carminis ampla ſeges.
Forte meas olim melioribus æmula pennis
Poſteritas humiles evehet ipſa rotas.
Dulce mihi natale ſolum, tua priſca revolvam
Sæcula, quæ felix Martis inivit avis.

1030. *per me tranſcriptum, cui titulus* Jura Episcopatus.

(a) *Cæteras Piceni urbes antiquitate, potentia, ac divitiis Firmana ſuperavit. V. Franciſci Adami Fragm. Firm. Lib.* 1. *Cap.* 1. *& ſeqq., nec non meum de hac re Opuſculum ad hujus Libri calcem.*

(b) *Rom. rempubl., teſte Tullio, plureſque Romanos Pontifices Firmana Civitas pecunia, atque opere adjuvit, & aliquot hoſpitio recepit, ut ex multis illorum Literis, quibus ejuſdem fides, ac devotio commendatur, in ſecretiori Arch. aſſervatis. Præterea Lotharius Imper. Firmi gymnaſium, de quo infra, inſtituit. Carolus M. ab Adriano Pontifice huc miſſus eſt ad bellum contra Græcos. V.* Fragm. pag. 21. *Otho Imper., aliique Firmanis benefici.* Ibidem. *Gothorum, ſeu Longobard. Reges, ac Reginæ hoſpitio exceptæ.* Firm. Fragm. pag. 24. *Maria denique Philippi III. Hiſpaniar. Regis filia, cujus extat in Priorali veſtibulo monumentum.*

16

Cum veniens noſtri peteret faſtigia collis
Exul inhumana lege (*a*) Sabina manus,
Et vallo in gyrum ſuperam prætexeret arcem,
Factaque planities eſſet acutus apex.
Jamque coronato ſurgebant vertice turres;
Cœpit & auguſta Juppiter æde coli.
Tecta per acclivem veniebant plurima tractum,
Cingebantque duplex montis utrinque latus:
Addita templa Deum, thermæ (*b*), navalia (*c*), fontes,
Clivi ad radices (*d*) amphitheatra, forum.

(a) *Picentes a Sabinis orti, teſte Plin. l. 3. c. 13. voto Vere ſacro ad hæc loca venerunt. Sabini enim, vel publica affecti calamitate, vel hominum numero oppreſſi, Diis voverant, eorum decimas, quæcumque Veris tempore nata eſſent, tum animalia mactanda, tum homines ætate adultos a patriis ſedibus expellendos. Hujuſmodi porro juvenes huc advecti Sabinum nomen in Picenum mutarunt. V. de hac re Scriptores veteres, ac recentiores, atque ex his clariſſimos Michaelem Can. Catalanum, & Joſephum Colutium.*

(b) *Non procul Firmo balnei, quod Reginæ vocant, ſunt reliquiæ. Fragm. l. 1. c. 1.*

(c) *Celebre fuit in ora ſuperi Maris Firmanum navale a Plinio* Caſtellum, *ſive* Caſtellum, *a Strabone* Epinion, *hoc eſt*, Navale, *ſive* Emporium, *in Tab. Peutinger.*, *& in antiquis Itinerariis* Caſtellum Firmanorum *appellatum. Quo vero loci extiterit, vel Urbi proximo, vel nonnihil diſtante, ab ipſa Urbe certe quidem diſtincto, nullum omnino injuria temporum, ſitus, magnitudinis, & figuræ relictum eſt monumentum. V. Can. Catalani, & Joſephi Colutii typis editas Diſſertationes.*

(d) *In cavo Nothotrophii nuper effoſſo ad Gyrofalci*

Sed juvenum mox indigenis (*a*) nova turma repulſis,
Creverat in magni nominis imperium ;
Dives opum, belloque potens; cui nuper ademit
Immeritæ patrios ſors inimica lares.
Haud ſecus exigua ſerpens cum rivulus unda
In mare collectis grandior ivit aquis.
Omnia j[illegible]n fauſto proluſerat ante volatu,
Cum vexilla ſuper lapſa ter hæſit avis.
Atque illis firmans animos, cognomen avitum
Tranſtulit arcano Picus haruſpicio.
Picentes populi, Picenaque terra vocari
Cœpit, & a firmo robore (*b*) Firmus apex :
Hinc primum, qua ſe dederint ætate Quirino
Mœnia ſponte ſua, poſt modo (*c*) capta, loquar.

radices reperta ſunt Amphitheatri veſtigia, Epiſtylia, columnæ, & Rom. lapides.

(a) *Sabini, auctore Plinio Lib.* 10. *cap.* 18. *Pici Martio cognomine inſignes. Profecti ſunt, ait Strabo lib.* 5. *in ea loca Piceri, Pico ave iter ducibus monſtrante, unde nomen genti. Ferrarius vero in Geographico Dictionario, (quod fabulam ſapit) hæc refert: Picena regio dicta, quod Sabini, cum Aſculum proficiſcerentur, in vexillo eorum Picus inſederit.*

(b) *Firmum Picenum veteres, recentioreſque ſcriptores paſſim appellant, tamquam proprium nomen, quod poſtea Provinciæ attributum. V. Firm. Fragm. pag.* 1. *Extat in poſtibus Prioralis Palatii ſculpta Epigraphe*: Firmi firma fides genus alto ſanguine Romæ. *V. etiam Sigon. de antiquo jure Ital. l.* 1. *c.*15.

(c) *Anno* 454. *ab U.C. fœdus ictum eſt cum Rom. Ex Liv. l.* 10. *c.* 5. *An. deinde* 484., *Eutropio teſte L.* 2. *c.* 9., *quod Firmani bellum commovere, a Romanis ſunt ſubjugati.*

Digitized by Google

Vi tandem dominos antiqua e ſede fugatos,
Tyrrheno Silari qua coit unda (*a*) mari;
Romanoſque loco ejectis ſubiiſſe colonos (*b*),
Altera venturæ ſemina laudis erant.
Quorum progenies triplici de ſanguine (*c*) ſurgens
Factaque major idem preſſit honoris iter.
Quot (*d*) Samium audivere ſenem? Quot ſidera menſi?
Martius innumeros vexit ad arma furor.
Vernarunt aliis ſua duplice tempora lauro;
Huc migraſſe putes ex Helicone deas.
Tradita non paucis etiam Demoſthenis arma,
Et pulſam e terris hæc loca adiſſe Themin.

(a) *Picentes e Piceno a Rom. ad ea Campaniæ loca ſunt expulſi, quæ inter Sarnum, & Silerum in mare Inferum, ſeu Tyrrhenum influentes; & Picentini poſtea appellati, quod a Picentibus orti. Raphael Volaterr. Geogr. l. 6. & Sigon. l. 1. de antiq. Jure Ital.*

(b) *An. denique* 489. *Firmani*, auctore Vellejo Paterc. *l.* 1., *in Coloniam tranſierunt; quam quidem ornatiſſimam Coloniam, hoc eſt, privilegiis omnibus ornatam vocat Plin. junior Epiſt.* 28. *lib.* 6., *ejuſque Cives Romanorum fratres appellat Cicero.*

(c) *Si verum eſt, quod omnes eruditi tenent, a Sabinis Siculos hinc fuiſſe depulſos, & Sabinos ſeu Picenos, aut Picentinos a Romanis, profecto liquet, Firmanos, hoc eſt populos, qui hæc loca incolebant, trium horum ſibi ſuccedentium ſanguine exortos fuiſſe.*

(d) *Multi e variis Italiæ populis, atque eos inter Firmani etiam Cives Crotonem Calabriæ civitatem adibant, ut Philoſophiam ibi addiſcerent ſub Pythagora, qui Olympiade* 60. *floruit, hoc eſt* 536. *an. ante Chrūm natum. Ex Diogene Laertio in Pythag. lib.* 8. *refert cl. Abb. Gimma in* Italia literata *pag.* 11.

Menſorem cœli Architam te priſca, Tarunti (*a*);
    Credidit, aut aliquem fama (*b*) Cononiadem,
Romuleæ numeris ducentem exordia vitæ,
    Primaque fraterna mœnia fœda nece.
Unde ſuburbano cœpere Palilia vulgo,
    Et certis Urbi feſta diebus agi.
Prole tua, Picena parens, aſſurge (*c*) Sabino,
    Cui conſulta cliens expedienda dabat.
Quam Romæ fueris, tibi cara & Roma, patronum
    Cæſareæ laudis, pagina longa (*d*) docet.
Non, Equiti (*e*), vindex populi, illaudatus abibis,
    Victima Romanæ (non pudet) invidiæ.

(a) *L. Taruntius Firm. Philoſophiæ, & Mathematicæ apprime ſtudioſus, ac Varroni, & Tullio amicus, Romuli conceptum, & Natalem Romæ diem Chaldaicis rationibus demonſtravit; quamvis eum Critici erraſſe dicant. V. eumdem Tull. de Divinat. l.* 2. *ubi hujus Viri meminit. Feſta porro Palilia in honorem Deæ Palis à paſtoribus in agris fiebant XI. Calend. Maji, quo die fundata Roma fuerat. V. etiam Petrum Cunæum Orat.* 1. *ſub initium, & Firman. Fragm. cap.* 12.

(b) *Conon, cui Taruntius comparatur, ex Catullo, ac Propertio, Aſtrologiæ peritiſſimus fuit.*

(c) *L. aut C., vel Cælius Sabinus Firm., celebris Ictus, ſummæ dignitatis, & auctoritatis vir, ut refert Adam. in Firm. Fragmentis cap.* 13. *fuit Plinio juniori maxime charus.* V. ejuſd. Plin. ad eum Epiſtolas.

(d) *Plin. juniorem, cujus eſt celebratiſſimus ille in laudem Trajani Cæſaris Panegyricus.*

(e) *L. Equitius Firm. Romæ Tribunus plebis, & in Gracchorum familiam omnium eruditiſſimam ultro adſcitus, ea de re, ſed in primis, quod plebi favebat*

Digitized by Google

Gracchorum domus æterno teſtabitur ævo;
Te generi adſcitum; perfida ut ora (*a*) negent;
Eſſe ſuam quamvis prolem velit Aſcula tellus,
Fas erit invitæ reddere (*b*) Ventidium.
Hoc illi natale ſolum, dominique Mamurræ
Mulio, Firmani rura colebat agri.
Miles & hinc abiit, potuitque e milite Prætor
Eſſe, triumphanti ſella & eburna dari.
Volcati (*c*), Appalii, Gaviique agnomina ſignat,
Sutri, atque Aſſonii plurimus urbe lapis.
Me vero ante omnes Fidei certamina poſcunt,
Et multa ad portas hoſtia cæſa Deo.

Dicam

impenſius, Patritiorum invidia miſere interfectus eſt. V. Firm. Fragm. cap 11., *ac præcipue Anglicæ Academiæ Hiſtor. To.* 22.

(a) *Mentitur Valer. Max. l.* 9. *c.* 7. *&* 16., *Equitii, & Firmanorum adverſarius, & maledicus. V. Fragm. loco cit.*

(b) *Ventidius Baſſus, quem Aſculanum volunt, ex mulione poſt præclara militiæ facinora Romæ Prætor de Parthis triumphavit. Mamurra vero prædium habuit in agro Firmano, ut ait Catullus. Baſſum vero ex eo agro fuiſſe, auctor eſt Gellius. Quare veroſimile eſt ibidem mulioniam exercuiſſe. Ita Joſeph Scaliger in Animadverſionib. ad appendicem Virgilii Maronis, ubi de hujus Catulliana Parodia, quæ incipit.*

Sabinus ille, quem videtis, hoſpites,
Ait, fuiſſe mulio vaferrimus &c.

(c) *Quamplurimi ſunt per hanc Civitatem diſſeminati, ad eamque ſpectantes Rom. lapides, in quibus aliquot Firmanorum militum, clariſſimorumque Virorum ſit mentio, quos vide apud Firm. Fragm. cap.* 3., *Gruterum, alioſque recentiores relatos.*

Digitized by Google

Dicam ſacrilegas aras, adamantina dicam
    Pectora, nec veritum robur acerba pati.
Altera Alexandri (*a*) premit oſſa Antiſtitis urna:
    Sectum vicini collis ad ima ferunt.
Altera divinos cineres tegit urna (*b*) Philippi,
    Qua via ad Adriacum publica litus abit.
Signavere locum veteres, ædemque locarunt;
    Nunc everſa (nefas!) tecta bubulcus arat.
Hos inter, (ſic fama refert) Adriane, triumphas (*c*):
    Vaticano ori danda, hominumque fides.
Septemdena ſuis acies ornata (*d*) coronis:
    Aut major numero, vel minor Illyrica.

B

(a) *S.* Alexander *Firm. Epiſc. & M. ad Viſſiani collis radices paucis ab urbe paſſibus Martyrio affectus eſt; de quo Rom. Martyrolog. III. Idus Januar. Ejus Lipſana in Metropol. Eccl. ſervantur. Firmanum autem fuiſſe, etſi nullum extet monumentum, teſtantur Baron., Ughell., Borgia Homil. 9. Tom. 2., aliique ſcriptores, necnon antiqua, & conſtans traditio.*

(b) *S.* Philippus *Firm. item E. & M., de quo Martyrol. XI. Calend. Novembr., paſſus eſt publica ad mare via, uno fere ab urbe lapide, ibique ejus ædicula pene diruta.*

(c) *S.* Adrianus *etiam Firm. E. & M., ex antiqua traditione, & proceſſu, quem Pontificio diplomate confirmavit Syxtus V. Vide Borg Homil. ſuperius citatam.*

(d) *Septuaginta Firmani Martyres, qui ſub Dec io paſſi ſunt, longe alii a Sirmienſibus, qui in Martyrol. Romano ſub Maximiano Imperatore VII. Calend. Martii ſeptuaginta duo, in aliis Martyrol. ſexaginta recenſentur. Sirmium vero civitas in Illyrico. Vide Borg. Homil. cit.*

Turpiter e ſeptis, hortoque ejecta (a), Serenum
Improba in indignum fœmina crimen agit.
Bina Deo nuptæ tollunt diademata Nymphæ,
Hinc *Sophia* (*b*), hinc palmæ *Viſſia* juncta comes;
Virgineas inter lacrymas, iraque frementem
Ante Jovem, agreſti vulſa ut ab ungue roſa.
Sed totidem appulſas primum ad Tyrrhena puellas (*c*)
Litora, ad hæc tandem miſit utramque Tyros.
Exilii hic paſſas diuturna incommoda laurus
Cinxit; utrumque Ancon pignus adepta colit.

(a) *B.* SERENUS *Monachus Martyr. Firm. alter a Sirmienſi, qui in Rom. Martyrol. ſub Maximiano Imper.* SIRENUS *nomine VII. Calend. Martii capite caſus eſt: Martyrio fertur affectus, quod nobilem feminam ab horto ſuo repuliſſet, atque ab ea idcirco delatus ad judicem. Ejectionis cauſa fuit, quod mulier incongrua hora in eumdem hortum diverterat, atque ideo ab illo de inhoneſtate acriter increpata. V. Firm. Fragm. cap.* 13.

(b) *SS. Virgines, & MM.* VISSIA, *&* SOPHIA *Firm., de quibus Martyrol. Rom. Prid. Idus Aprilis, & Prid. Calend. Maji. Sacra earum capita thecis incluſa in Metropol. cimelio aſſervantur.*

(c) *SS.* PALATIATES, *&* LAURENTIA *VV. & MM. ex Rom. Martyrol. VIII. Id. Octobr., in perſecutione Diocletiani a Dione Præſide in exilium deportatæ, laboribus, & ærumnis confectæ ſunt. Eas Firmum veniſſe exulatum antiqui Anconitanæ Eccleſiæ codices, teſte Baron., referunt. Ubi martyrio coronatæ ſint, Firmine, anvero Anconæ, obſcurum eſt. Certa res eſt, ſacra earum corpora illic eſſe condita; hic vero S.* PALATIATIS *antiquiſſimum fuiſſe cultum, nuperrime reſtitutum, & in ejus honorem erecta olim altaria. V. Firm. Epiſcopat. Regeſt. a.* 1184. *V. etiam Borg. Homil.* 8. 2. *To.*

Firmano crevere ſolo, Trevirenſe (*a*) magiſtro,
Semina prima Syri tincta cruore (*b*) patris.
Tempeſtate illa fugiens hinc, Cœlia proles
Lactanti (*c*), Lybiæ barbara regna petis.
Ingenuas illic juvenili ætate per artes
Extudit occultas (*d*) Afra palæſtra faces.
Cæſaris accitu (*e*), colitur Bithyna juventus;
Rara aperit pubes ad tua ſcripta (*f*) viam.

B 2

(a) *S.* EMYGDIUM *E. & M., Treveris natum, & Aſculum Roma profectum ſæpius veniſſe Firmum, hic Evangelium diſſeminaſſe, & Apollinis templum apud Tinnam fl., ſuccenſo ejus luco, evertiſſe affirmant Vitæ Scriptores, Borgia, & Acta SS. apud Bolland.*

(b) *S.* MARO *Syrus, & Hieromartyr, Roma cum ſociis ad Pontiam inſulam relegatus, ac deinde ſub Nerva Bono reſtitutus, a Trajano ad colenda prædia apud Novanam damnatus, Firmana oppida perluſtraſſe fertur, totamque provinciam primus ad Fidem prædicatione, & miraculis perduxiſſe. V. Marangoni Novana Hiſtor., & Borgiam.*

(c) *L. Cœlium Lactant. Firmian. fuiſſe Firmanum Scriptores plurimi, & pene omnes Europæ Academiæ conſentiunt, nonnullis exceptis, qui futilibus, & negativis ſolum argumentis nodum in ſcyrpo quærunt. V. P. Eduard. Carmel. in Appar. ad opera ejuſdem Lactantii Diſſertat.* 2.

(d) *In Numidiam ſe contulit Lactantius, ut ipſe teſtatur, & siccæ ſub Arnobio eloquentiæ operam dedit. De antiquis Africæ Academiis V. Lipſium Tom.* 2. *ubi de Lovanio.*

(e) *A Diocletiano Imp., ut ait D. Hieron., accitus una cum Flacco Grammatico Nicomediæ Rhetoricam docuit.*

(f) *Diſcipulorum penuria, ad ſcribendū ſe contulit,*

Tradita Pentadio fratri divina ſupellex (*a*),
Et reliqua in lucem turba (*b*) latina venit.
Te Conſtantiades (*c*) Gallorum in regna vocavit,
Auguſta & ſoboles inſtituenda data eſt.
Qua tamen extincta, juvenum te denique turma
Audit ad extremam (*d*) Rhetora canitiem.

de Divinis Inſtitutionibus *primo quidem Libros VII. contra Gentes*.

(a) *Divinarum Inſtitutionum* Epitomen *ſcripſit, quam Pentadio fratri ſuo dicavit. Pentadius autem, teſte Amm. Marcell. l.* 14. *fuit Conſtantii Imp. Notarius*.

(b) *Plura alia opera ſcripſit, nempe de* Opificio Dei, *ſeu de Hominis format. ad Demetrianum*; De ira Dei ad Donatum *Confeſſ.* De Mortibus Perſecutorum *ad eumdem; qui quidem libell. fato infelici multis ſæculis delituerat; ſed eum cl. Vir Stephanus Balutius primus ab interitu vindicavit. In eo a prima Neronis Imp. perſecutione uſque ad Licinianam Lactantius inſectatur*. Sympoſium *præterea edidit adhuc junior, itemque* Odeporicon, *hoc eſt Itinerarium ſuum ex Africa uſque Nicomediam Hexametris verſibus. Nonnulla denique Poemata elegantiſſima in lucem dedit, ac præcipue de* Paſſione, *&* Reſurrectione Domini; *ex quibus intelligi poteſt in utraque facultate, Oratoria ac Poetica, valuiſſe Lactantium*.

(c) *Cæſaris Criſpi Conſtantini Imper. filii præceptor Lactantius fuit, qui quidem Criſpus a Patre poſtea interfectus eſt*. D. Hieronymus *hoc teſtatur, & Euſeb. in Chronico ad an.* 318.

(d) *In extrema etiam ſenectute literas docuit. Amiſſis denique facultatibus (ignoratur cauſa) & relicta jam Imperatoris aula, adeo in hac vita pauper fuit, Euſebio teſte, ut plerumque etiam neceſſariis indiguerit*.

Non cædis furor, at vitæ ſors indiga rerum
Et gravius quovis enſe peremit onus.
Longum iter ad reliquos, cum, Diis in pace ſecundis,
Ornabant meritas candida ſerta comas.
Cyriacum (*a*) an ſileam? Solemnem thuris acerram
Myſta adolente, illi rite tributus honor.
Alter erat, fama antiquis referebat ab annis,
Cui ſupplex Ancon ad pia buſta ruit.
Tum, qui nomen (*b*) habet Firmanæ ab origine gentis,
Ipſa licet Recinæ filia viſa parens (*c*),
Hoſpitio vicina; fide ſed digna vetuſtas
Primum hic infanti vult radiaſſe diem.
Inde ſuburbani (*d*), juniore ætate, receſſus
Suſcipiens, cæli voce, tyrocinium,

(a) *S.* CYRIACUS *Firm. Ep.*, *& Conſ. ex antiqua traditione*, *& Miſſali*, *ac Breviario Sæculi XIV. alter fuit a S. Cyriaco E. & M. Anconitano. V.* Borg. Homil. ſup. cit.

(b) *S.* FIRMANUS *Abb. origine*, *atque ortu Firm.*, *de quo S.* Petrus Damianus, *Baron.*, *Bolland.*, *aliique veteres*, *ac recentiores*.

(c) *Recinetum*, *quæ a priſca Recina duxit originem*, *ſuum vindicat*. *V.* Calcaneum Recinet. Memor. pag. 22.

(d) *S.* FIRMANUS ABB. *vigeſimo ætatis anno Sacerdos initiatus*, *trigeſimo quarto. in Monaſterio S. Sabini prope hanc Urbem Monaſticum habitum ſumpſit: Abbas denique deſignatus eſt Monaſterii S. Joannis Evangeliſtæ ad oram Potentiæ fluminis in agro Montis Luponum a pia femina nuper extructi. V. Borg. Homil. & reliquos ſupra citat.*, *necnon ejuſdem vitæ ſcriptorem P. Hieronymum Lagomarſinum*, *ejuſque Epitomen nuper editam*.

Extruit, & ſociis longe nova ſepta frequentat,
　　Ultima Firmani meta ubi (*a*) flumen agri.
Lympha ſitim, herba famem ſolata, & avara quietem
　　Saxa; illi ad fuſas uda pupilla preces.
Multa Potentinum narrat portenta ſepulchrum,
　　Regreſſam extinctis vitam, oculisque diem.
Obſoluit cultus; ritum reparavit, & aram
　　Roma, Minutiadæ (*b*) vota probante Pio.
Quod tamen hic reliquis oritur lucentius aſtrum?
　　Quæ rutila in medio pectore flamma nitet?
Una eſt illa quidem Piceni (*c*) Herois imago,
　　Seque modo ante oculos exhibet illa meos.
In lucem Pontana parens dedit, anxia prolis,
　　Et voti compos facta Myrenſis ope.
Vix puero Puer illapſus blanditur ad aram,
　　Ignitaſque faces inſcia corda bibunt.
Voce alio Cœlum vocat; Afri Patris eremum
　　Haud mora, contemptis omnibus, acer adit.
Numquam eſcis expleta fames, recreataque numquam
　　Dira ſitis, vigili nocte fugata quies.
Tartareæ terrent larvæ, ſudibusque relinquunt
　　Semianimem, pungunt æra, obeuntque latus.

(a) *M. Luponum, ejuſque agrum uſque ad Potentiam fl. comprehendebat Firmana ditio; ſed poſtea Lauretanæ Diæceſi a Pio IV. attributus fuit.*

(b) *Ab initio ſæculi X. S.* FIRMANUS *cœpit coli. Vetus ejus altare in majori Eccleſia erectum. In pervetuſto ejuſdem Calendario nomen expreſſum. Fluxu temporis cultus obſoleverat; ſed a.* 1783. *inſtauratus eſt.*

(c) *D.* NICOLAUS *a Tolentino dictus, S. Angeli in Pontano natus eſt, adſtrictis voto parentibus a D. Nicolao Myrenſi Epiſcop. impetratus.* Vide reliqua in ejus Vita.

Impiger i, vinctura parat jam ſerta Tolentum;
Cœlorumque acies præcinet exequiis.
At ne, Dive, tuos coementi in funere (*a*) Matri
Jure lares, ne Te, quæ petit illa, neges.
Et tua ſi per eam viget ante altaria lampas,
Hinc metuenda fames abſit, & atra lues.
Adde his, marmorea poſitum quem reberis arca
Vivere (*b*) Adam, qua aras infera templa rotant.
Et ſervata alibi Guſmani, Umbrique Parentis (*c*)
Pignora: creditum (*d*) habes, Helvia, Cypriaden.
Felſina (*e*) Acetinos cineres veneratur; honore
Digna Viri pietas, & ſuper aſtra vehi.

(a) *Caſtrum S. Angeli, de quo ſupra, D. Nicolai patria non multo poſt ejus obitum Firmanæ Civitati ſe tradidit, vendiditque* 2000. *Florenorum pretio, an.* 1316., *V. Inſtrumentum in ſecretiori Urbis Arch.*

(b) *S.* ADAMI *Abb. Lipſana Sacris induta veſtibus, in inferiori Metropol. Oratorio ſumma omnium religione coluntur.*

(c) *BB.* BONJOANNES *Ord. S. Dominici;* JOANNES *vulgo ab Alvernia S. Franciſci socius;* ADAMUS *Ord. Min. Conventual.* BONAVENTURA *Ord. Minor. de Obſervantia; &* GULIELMUS *denique ejuſdem Ordinis, cujus corpus Tuſcaniæ religioſe colitur.*

(d) *B.* PHILIPPUS *de Firmo Apoſtolinorum amplexus eſt inſtitutum, quod ſub auſpicio S. Barnabæ Ab. Levitæ Cyprii conditum fuerat. Cum B. Placido Recinetenſi, XIV. ſæculo, in ſuburbano illius urbis Cœnobio aliquandiu vixit; ac deinde Maceratæ ſui Ord. conſtructo Monaſterio, ibidem ſanctiſſime obiit. V.* Jacobill. de SS. Umbriæ, Calcan. Recinetenſ. Hiſtoriam, & Acta Sanctorum 4. Junii.

(e) *Ven.* SERAPHINUS *Aceti Firm., Canon. Regu-*

Quidquid enim ille egit, monumentum in pariete ſignat,
Et tulit in vulgus linguæ (*a*) utriuſque liber.
Condita jamdudum Antoni (*b*) lapis oſſa ſepulchro
Indicat, ante aram Patris, & ante gradus.
Feſtinent, quid adhuc ceſſant? labentia tarde
Tempora; læta adſit poſt tria luſtra dies,
Luce coruſcantis qua mulceat irin imago,
Et rutilas inter pendeat alta faces.
Sunt rata jampridem (*c*) Romanæ oracula vocis:
Mira bis accedant; publica thura ferent.
Firmani Indigetes, quorum ingens copia, flectant,
Communis cauſa eſt, ad pia vota Deum.
Ille adeo, per quem Neriana colonia culta eſt,
Flaminius, (*d*) ſancti forma ſodalitii,

Et

lar., vitæ ſanctimonia clariſſimus Bononiæ obiit; ejuſque ſepulchrum juxta altare majus in templo S. Joannis in Monte.

(a) *Ex ejus Epitaphio, auctor fuit Sacerdotum Boni Jeſu, & PP. S. Pauli. Pium Opuſculum Italico ſermone conſcripſit, latine redditum; utrumque typis vulgatum. Acetorum porro familia nobilis, ac teſte* Mugnos, *ex illuſtrioribus Italiæ familiis, cujus poſtremus fuit Ven. Dei ſervus, DD. de Portis affinis ſuis hæredibus.*

(b) *Ven.* ANTONIUS DE GRASSIS *Firm. Oratorii Presbyter, virtutibus clarus, & ſingulari in Deiparam affectu obiit an.* 1671., *ſepultuſque ante Cappellam S. Philippi, cujus fuerat, ex Apoſtolico decreto, imitator egregius. V.* ejus Vitam typis editam.

(c) *Prodiit an.* 1770. *S. R. C. Decretum, conſtare de Theologicis, Cardinalibus, cæteriſque ejuſdem virtutibus in gradu heroico.*

(d) *P.* FLAMINIUS RICCI (*filius Dominici Ricci*

Et Nerii interpres, duce quo, puer (*a*) hauſit amorem
 Numinis, inque dies altius egit iter.
Nec non Flaminio ſimiles (*b*), præclara Philippi
 Lumina: ſors eadem quippe futura manet.
Quidquid eris, charam, Antoni, tibi deſuper urbem
 Reſpice, & hæredem, quem ſupereſſe vides.
Nunc ſine, me juvenis contexere (*c*) fata tribulis;
 Non multum ille tuis diſtat ab exequiis.

C

utriuſque juris optimi conſulti, qui familiæ ſuæ avitam ornavit, & auxit gloriam: Firmi ad Superos evolavit an. 1558., *&* 40. *annorum ſpatio in primariis Italiæ urbibus variis functus præfecturis) ejusdem Congregationis Sacerdos D. Philippo, Pontificibus, aliiſque ſui temporis ornatiſſimis viris apprime carus, hujus Oratorii, & aliorum fundationi maximam dedit operam. V. ejus vitam illi D. Philippi adnexam, & in ejuſdem Congreg. Arch. proceſſum.*

(a) *P. idem Flaminius Ven. P. Antonio de Graſſis adhuc puero a Sacris Confeſſionibus fuit. V. Ejus Vit.*

(b) *Plurimi ipſius Congregationis Sacerdotes eximiæ vitæ ſanctitate ad hæc ferme tempora floruerunt; inprimiſque PP. Penſabenius Turchetti, Petrus Conſolini, Sulpicius Conſtantini, ac Dominicus fratris filius, Alexander Raccamadori, Cæſar Paccaroni, Hyacinthus Macchiati, Hieronymus Morici, poſtea Maceratenſis Congregationis Præpoſitus, Joſeph Navarra, Franciſcus Moſcheni, aliique, atq. inter eos etiam Laici permulti numerantur, de quibus Marcian.*

(c) *Ven.* PHILIPPUS *e clariſſima familia de Bevilaquis Protonot. Apoſtol., filius Petri Firm., Rom. & Ferrar. Patritii, Equitis, & Comitis Palatini, necnon Caſtri Varciæ, & S. R. Imper. Comitis, fuit mundi, ſuique contemptu, cæteriſque virtutibus ornatiſſimus.*

Immaturum obitum flevere ad templa Quirites;
His & adhuc mærent ad tua buſta notis:
Qui jacet hic, ſe, & opes, faſtum, & deſpexit honores;
Ægraque Perſephone nil rapuiſſe dolet.
Cœlicolæ magni Firmanæ matris alumni,
Læta, precor, veſtro numine ſæcla fluant.
Adſis urbani collis tutela, *Sabine* (*a*),
Plumbea poſt truncas verbera paſſe manus.

Romæ obiit an. 1680., *ætate an.* 36. *ſepultus eſt in Eccl. S. Mariæ de Pace, ac deinde ad Eccles. PP. Carmelit. Excalceat. an.* 1688. *translatus. V. ejus Vitam a Michaele Fulignano Venetiis editam.*

(a) *S.* Sabinus *E. & M. Soletanus, quem nonnulli ſcriptores Firmanum etiam Civem volunt, & Regionarium, ut vocant, Epiſcopum nempe Spolet., Aſſiſinat., & Firm., ſub Maximiano, juſſu Præſidis, truncatus eſt manibus, ac deinde plumbatis cæſus ſub alio Præſide, efflavit animam, ineunte ſæculo IV. Sacrum ipſius Caput miræ virtutis in nebulas ſegeti noxias, atque ad opportunam ſerenitatem, & pluviam obtinendam, externaſque militum copias hinc fugandas, a D. Gregorio M. Valeriano cuidam Firm. Eccl. Notario donatum, vetus & conſtans eſt traditio, ex duabus Magni ejuſdem Pontificis epiſtolis, altera ad D. Chryſanthum Spolet. Epũm data, altera ad Valerianum ipſum, quas vide in Gregoriano Epiſtolario. V. etiam luculentiſſimam de hac re Diſſertationem Cl. V. Nicolai Heriorni Metrop. Eccl. Archidiaconi a Card. Urbano Parraciano ad San. Me. Clementem XIII. an.* 1765. *tranſmiſſam, qua pluribus, graviſſimiſque argumentis oſtendit, verum illud eſſe, idemque S. Sabini caput, a D. Gregor. ſanctuarium, hoc eſt ſanctitatis ſedem appellatum, præcipue ex argentea lamella ad formam crucis ſummo*

Cujus & ante aras argentea ſulget imago;
Nubipotenſque caput peſtem, hiememque ſugat.
Auſpice Te, numquam nebulis vitiantur ariſtæ,
Nec matutino læſa vapore ſeges.
Quare, ubi Quintilis Domini lux altera ſurgit,
Tutori arvorum ſpicea ſerta damus.
Tuque adeo, alma Parens, ſi te ſuper aſtra volantem
Patrius antiquo nomine adorat apex;
Et medium cum ſextilem Sol menſus Olympo
Publica ſolemni gaudia luce refert;
Debita Patronæ ſupera ad delubra quotannis
Tota tibi regio certa tributa vovet,
Te Virgo, dominumque ſuum caput oppida ſervent,
Nec vetus, atque una mutuus abſit amor.
Afflatuque Tuo cives fila illa repexent,
Quæ ſint natali conſona principio.
Deſidia juvenum excuſſa, meliora reſurgant,
Qualia erant aurei temporis, ingenia.
Aonio in patriam cum vertice, ſive Latinas,
Sive Italas egit docta caterva deas,
Ipſe ſonans vatem dedit os Permeſſius humor
Pluribus, & juſſit fronde virere comas.
E quibus heroam (*a*) tollens Fontanus avenam
Principis Hetruſci geſta, Tagemque canit.
Juli Muſa Duces (*b*) ornat, Regeſque Bohemos,
Atque animata ſuis ſtemmata imaginibus.

capiti aptata, in eaque antiquis quibuſdam ſæculi certe ſeptimi characteribus. Quæ quidem Diſſert. utinam typis detur tamdiu ab eruditis expetita.

(a) Pierius Fontani *Firm. heroico verſu Latino Tagen Haruſpicinæ Deum ſcripſit, Magnoque Hetruriæ Duci Franciſco dicatum typis edidit Bonon.* 1527.

(b) Julius Solimani *Soc. J. Sacerd. Bohemorum*

Virgineæ at ſpumam pueris Cythereida lymphæ
Miſcuit ille tuus, Cupra marina, liber (*a*):
Syllanumque Forum, claræque agnomina gentis
Carmine (*b*) Morici non inhonora nitent.
Quinaque Montanos (*c*) etiam cinxere poetas
Serta; dat eloquio Muſa prioris iter.
Quin Venuſina chelys (*d*) Clementi tradita cantus
Deflectit, ſenos induiturque pedes.
Vincius Hetruſcos Antonius æquat olores (*e*);
Ingenio altivolans vis, Pythiuſque calor.

Ducum, Regum, & Interregum Elogia, ſive Epigrammata, adjectis ſingulorum Iconibus, complexus eſt, & Pragæ edidit an. 1627.

(a) *Joannes Baptiſta Evangeliſta e Marano, ubi Cupræ maritimæ rudera, Anconæ, Firmi, ac Bononiæ demum poſt Carolum Sigonium humanarum artium Profeſſor, Libros VII. Elegiarum, Epigrammatum &c. ſcripſit, & Alexandro Card. Peretto dicavit, ac typis edidit Venetiis a.* 1589. *Impura plerumque Poematia.*

(b) *Moricus Morici in ſtemmata Immolenſium plura ſcripſit typiſque Bononiæ dedit Epigrammata an.* 1588.

(c) *Dominicus, Paulus, Hieronymus, Felix, Joſeph Leo de Montanis clari poetæ, quorum multa carmina in Firmanorum Poetarum collectaneis Bononiæ, & alibi editis. Dominicus vero Didaſcalicum edidit Poematium de arte Oratoria an.* 1517.

(d) *Clemens Paccaronus J. U. D. Horatianas Odas Heroico-Latino verſu traduxit, ediditque Firmi a.* 1735.

(e) *Antonius Maria Vinco illuſtris poeta, & Torquato Taſſo amicus, plura dedit in lucem Italica Poematia. Vide impreſſa Firmi Collectanea an.* 1590. *Nonnulla etiam Evangeliſtæ operi præfixa, atque alia in obitu Vincentii Eliſæi, eodem anno typis edita ibidem.*

Curiæ ubi ad frontem Romani Patris imago
Ærea, Firmanum ſederat ante forum ;
Cantibus Antoni (*a*) accinuit lectiſſima turba
Agminis Errantum, Caſtalidumque decus.
At non illepidos luſus, ſatyroſque petulcos
In Venerem e ſylvis (*b*), Actioline, vocas.
Hæc, & plura etiam totum vulgata per orbem
Hactenus, & lingua duplice ſcripta volant.
Jam tua, docte Uriel, (*c*) fuerat domus hoſpita Muſis,
Teſtis in auguſta Virginis æde lapis.
Picenum Euripidem tollunt ſuper aſtra (*d*) cothurni;
Et domini evicit fabula viva rogos.

(a) *Non ſolum idem Antonius M. Vinco, ſed plures etiam Firmani Cives, & eos inter Antonius, & Vincentius Terminii fratres non pauca carmina reliquerunt in laudem æreæ ſtatuæ Xyſti V. in frontiſpicio Prioralis Palatii erectæ; itemque Benedictus Moro, & Vincentius Eliſæi una in Collectaneis ſupra indicatis impreſſa. Horum poſtremi eadem, aliaque permulta in lucem dedit Joſeph Eliſæi, atq. Archiep. Hieronymo Matthæucio dicavit.*

(b) *Laurentii Actiolini Narniens. Epiſcopi multa ſuperſunt typis edita, & MS. carmina, ſed præcipue Satyra in Luxuriam, etiam latine reddita, eruditorum omnium judicio tantopere commendata. V.* Scientiarum, & Scriptorum Lexica.

(c) *Urielis Roſati Italica plura carmina habentur in ſupra cit. Collectaneis; ejuſque domum poetarum veluti domicilium, atque Academiam fuiſſe, tum topographica Firmi tabula, tum ejus elegans Epitaphium in Templo S. Mariæ Charitatis teſtatur.*

(d) *Nicolaus Paccaroni elegantem Tragædiam, cui titulus* La Romilda, *Italico verſu concinnavit, & Venetiis typis edidit an. 1626.*

Digitized by Google

Spes hominum firmans, atque Itala vota, Joannis (*a*)
Chriſtiadum aſſumpto Præſide, carmen ovat.
Te vero, Nicolae, (*b*) novem diverſa ſororum
Munera complexum fama perennis alet.
Æthiopum Regem ſcenis committe Senapum,
Arte Sophoclæa par tibi nullus erit.
Sacra poetarum contendant orgia tecum,
Victa tuo cedent omnia plectra ſono.
Arcadum Olympiadas, delectaque penſa fatigas,
Scriptorumque animas deſeris, alta petens.
Mitto hic (*c*) Felicem, & viridi quos abſtulit ævo
Parca duos (*d*): violens Palladis edit amor.

(a) *Joannes Cordella Italicum Carmen inſcriptum:* La Colomba innocente, e trionfante; ovvero l' Italia conſolata nell' aſſunzione al ſommo Pontificato d' Innocenzo X. *Card. Camillo Pamphilio dicatum Firmi edidit* 1645.

(b) *Nicolaus Comes Sabbioni Lyricis, ac Tragicis clarus carminibus, in pluribus Arcadiæ libris, atque alibi diſtributis, & præterea Philoſophicis adnotationibus ad aliquot Hymnos P. Joannis Baptiſtæ Cotta Auguſtinienſis, quas vide typis impreſſas. Plura ejus vagantur Dramata in lucem edita. Senapi Æthiopum Regis perpolitam Tragædiam adhuc juvenis exaravit, atque Aſculi typis edidit.*

(c) *Felix Treviſani de Portu Firmi plura ſcripſit, ediditque Heroica, Satyrica, & Lyrica Italico ſermone carmina ſevera ſimul, & faceta.*

(d) *Michael Rocca, & Ludovicus Ferri de eodem Portu, Poetæ olim diſcipuli, mira ingenii vi, & Poetica facultate præditi, immodico ſtudiorum labore, adhuc juvenes, hic Romæ, ille in patria, immature obierant.*

Scilicet æquarent ambo Tritona canorum;
Et cirent; flet adhuc ora propinqua maris.
Mitto etiam, quem ſata urbi rapuere, Philippum (a)
Nuper; eris comitum, rapte Philippe, dolor.
Piceni per te juvenes, Umbrique bibebant
Cirrhæas (quis enim te duce major?) aquas.
Inde tibi faciles, ut erant, lætæque Camænæ
Ante Quirinales procubuere pedes.
Nec referā, qui & adit nubes, atque aſtra, Camillum (b)
Haud nova ſpectantem corpora, & Orbis iter.
Quis neget indigenas migraſſe huc monte ſorores,
Et ſibi perpetuos hic habuiſſe lares?
Carior Aonidum turmæ vix altera viſa eſt
Terra, neque hac Lycio carior ulla patri.
Plus Aganippæo ſitientem recreat humor;
Qui ſitit, urbano ſi bibat amne, ſat eſt.
Prætereo ingentem, quæ confluit undique, prolem
Aſſidue ad Muſas ubere matris ali.

(a) *Philippus Aſſalti de Aquaviva, illuſtri Firmanæ ditionis oppido, & hujus Civitatis incola, Petri doctiſſimi hominis, de quo infra, Nepos ex fratre, publicus fuit in principibus Piceni, & Umbriæ oppidis humanarum artium diu profeſſor, nonnulla edidit Poemata, quorum poſtremum Clementi XIV. P. M. paucis annis ante obitum ſuum typis editum dedicavit.*

(b) *Camillus Garulli publicus adhuc Poeticæ facultatis in Patria Profeſſor, latinis carminibus Copernicanam Hypotheſim, & de Cometis librum, necnon Elegiarum Monobiblon, ac ſelecta Epigrammata, atque Hendecaſyllabos typis Romæ edidit an. 1776., & Rm̃o Dominico Spinucio Maceratenſi, ac Tolentinati Epiſcopo dicavit.*

Denaque jam caluiſſe artes per ſæcula, poſtquam
 Palladis (*a*) a magno Cæſare aperta domus.
Et nova Pontificum (*b*) decreta ſedilia cura;
 Diſtincta in claſſes munera Pallas habet.
Non querar ingenuæ ſuſpenſa alvearia pubi,
 Pieridum dulces cudere nata favos;
Sed tua, Cenſori (*c*) non unam experta procellam;
 Sive tua invitam paſſa, Cluana (*d*), fugam.
Non

(a) *Lotharius Imper. an.* 829. *publicum Literarum gymnaſium in hac urbe erigi juſſit, quo vicinæ, & finitimæ Civitates, & Spoletini etiam Ducatus ad ſtudia convenirent. V. Murator. Ital. Annal. To.* 4. *p.* 2. *Quæ quidem ſtudia triennio jam ante a Lupo Firm. Epiſc. hic fuerant excitata, qui Rom. Concil. interfuit ſub Eugenio II., ſeque ſubſcripſerat ultimo ejuſdem Can.* de ſcholis reparandis. *V. Borg. Homil.* 8. *To.* 3.

(b) *Bonifacius VIII. Firm. Gymnas. a.* 1303. *inſtituit. V. Bullar. Cherub. To.* 1. *pag.* 145. *Caliſtus III. a.* 1455. *confirmavit, Syxtus denique V. a.* 1585. *reſtituit. V. Bullar. To.* 2. *pag.* 295.

(c) *Can. Cenſorius Martialis Firm. pro nobili juventute Collegium erexit a.* 1622., *cujus bona poſt mortem Cameræ Apoſt. ſpolio ſuppoſita, ſoluto ab Urbe Firm. pretio, redempta ſunt. Iterum alieno ære gravatum, ac demum Metropolitanæ Eccleſiæ conſtruendæ cauſa ſuſpenſum.*

(d) *Andreas Canutus Elpidienſis Civis, & Oppidenſis Epiſcopus Colleg., quod ejus nomine* Canutum *appellabatur, inſtituit an.* 1615. *pro ſuis tribulibus. Poſt ejus obitum Firmi primum conſtitit an.* 1625., *deinde Romæ reſtitutum fuit an.* 1655. *pro iiſdem ad certum numerum in Piceno Coll. alendis.*

Digitized by Google

Non vectam Illyricis etiam, Epiroque juventam (*a*),
Spem Fidei Odryſiis finibus, iſſe querar.
Mitto, ubi cæruleæ veſtes, tonſique capilli (*b*)
Artibus aſſueſcunt ad ſacra inire gradum.
Quippe juventuti calcaria (*c*) Præſidis inſtant,
Auditiſque domi ſuccinit illa modis.
Errantem (*d*) proceres, & onuſtæ vatibus alni
Fronde virens menti conflua turba ſubit.
Unde tot illuſtres animæ, thyrſique calentes,
Queis non afflavit numinis aura minor.
Borgia, (*e*) Romanæ ſoboles præclara Velitræ,
Quem cæcis Fidei lux revehenda premit;

(a) *Illyricum, & Albanenſe Collegium hic fundatum, poſt longum deinde tempus, ſacra de Propaganda Fide Congreg. Romam 40. ab hinc annis advocavit.*

(b) *Ven. Clericorum Collegium, vulgo Seminarium incertis diu ſedibus vagatum, a Carolo Card. Gualterio an. 1646. in ſuppreſſo Carmelitarum Cœnobio conſtitutum, ubi 60. nunc pueri aluntur. De quo inferius.*

(c) *Franciſcus Xaverius Bernetti Metropol. Can., Poetà optimus, & ejuſdem Rector Seminarii.*

(d) *Academicorum cœtus, vulgo degli Erranti già Raffrontati, inſignium poetarum copia diu floruit.*

(e) *Stephanus Borgia Velitrenſis, & Firm. Civis Patritius, ſub Alexandro Firm. Archiep. patruo ſuo literis, ac ſcientiis omnibus a pueritia hic eruditus, & inde inter S. R. E. Prælatos, atque ad Beneventanam Præfecturam adſcitus, ubi Civitatis illius monumenta ſcripſit, ac typis edidit, ob varias Diſſertationes hic, & alibi impreſſas bene de Literaria Republ. meritus, atque omni honore digniſſimus, ſacræ poſtmodum Indulgentiarum Congreg. a ſecretis, eodemque munere S. de Propaganda Fide Congreg. ad hæc uſque tem-*

Hanc (memini) prima reparaſti ætate jacentem,
Poſt multas hiemes, ad vada ſicca ratem.
Ac duce Te, remis, veliſque ornata, fecundas
Clarior Argoa puppe cucurrit aquas.
Macte animo, Vir apud ſeros memorande Nepotes:
Doctius in tota te nihil Auſonia.
At qui navigii, per Te, direxit habenas (a)
Tunc prior, heu nigro funere nuper obit!
Flet domus, inprimiſque viro dolet orba (b) Beatrix;
Ille etiam Heroas proluit imbre genas (c),
Qui patris exemplo teneris aſſuerat ab annis
Sæpe Pirenæi montis adire viam;
Suffecitque vices, pro munere, ne qua per orbem
Vectorum traherent menſtrua penſa moram.
Jam tum ego dicebam, magnum hunc in nomen iturum,
Et fore, quem famæ ferret ad aſtra ſonus.
Felix Errantum ſibi jure ſuperbiat agmen,
Geſtiat ac tanto remige fulta ratis.
Impigra ſurge, ratis; ſemper tibi riſit Apollo;
Non averſa ullo tempore Muſa fuit.

pora glorioſe perfunctus, demum S. Purpura decoratus a Sum. Pontif. PIO VI. fel. regn. eodem hoc an. 1789., Errantium Academiam, dum in hac Urbe degeret, pene collapſam reſtauravit.

(a) *Joſeph Co. Spinucci primus reparatæ Academiæ Rector nuper obiit.*

(b) *Joſephi ejuſdem uxor, nunc vidua, Maceratenſis, ac Tolentinatis Epiſcopi, de quo mox, & præcelſæ Fæminæ, de qua infra, eſt mater.*

(c) *Dominicus horum filius, Maceratenſis Epiſcopus, fuit excellens poeta, & juvenili adhuc ætate, Errantium Academiæ non raro præfuit, cæteriſque collegis doctrina, exemplo, ac prudentia præfulſit; de quo infra.*

Eſt ſatis ampla ſeges, vaſtum patet æquor; ab umbris
Ad laudes adſunt, Martia corda, patres.
Romulidum ſanguis Firmana urbs crevit in armis;
Mittebatque ſuos, quo placuiſſet, equos.
Illius hoc fuerat, vel Thraces ire per hoſtes,
Vel Regum, aut magni Cæſaris arma ſequi.
Bellorumque potens metuebant barbara nomen
Caſtra, fugæque illa terga tonante dabant.
Nam Sabioniades (*a*) Veneta ad tentoria duxit
Bis prope centenis ænea tela rotis.
Hinc gemini arſerunt fratres, Mancina (*b*) propago,
Pugnaces ambo, Martis uterque timor.
Alter Pannonios audax compeſcuit hoſtes,
Tuſciam, Aprutinos alter, & Æmiliam.

(a) *Jacobus de Sabione dux C. virorum, bellicorumque tormentorum Præfectus, Venetiarum ſervitio mancipatus, tempore adventus in Italiam Caroli VIII. Francorum Regis a.* 1495. *honorifice memoratur in Hiſtoria Marci Guazzi Venetiis edita an.* 1547. *pag.* 164., *ibique pag.* 178. *eo duxiſſe curriculis bellica tormenta ærea* 168. *aperte narratur. Hujus porro, ejuſque filiorum nomina reperiuntur in publ. Conciliorum codicibus a.* 1491. *inter nobiles cives ad gradus Firmani regiminis.*

(b) *Fabius Mancini in bello apud Hungar. a.* 1591. *Signifer. ex publ. Diplom. Poſſoniæ datis, quibus audax ejus animus, atque impavida virtus inter varia pericula commendatur. Joannes etiam Philippus frater in Aprutio, Hetruria, Æmilia, & Patrimon. ſuis ſtipendiis peditatus dux, a Neapolis Rege* 1604., *a Magno Hetruriæ duce an.* 1615., *ab Urbano VIII. an.* 1625. *magnifice laudatur. Ex publicis documentis apud hæredes.*

Miſſus in Hungariam Thracum lunata repreſſit
Agmina Martellus (*a*), vinclaque paſſus abit.
Cæſareas iterum turmas, Romanaque pila
Ducit, Achillæum robur, & Æmathium.
Nec tua vis unquam irrequieta quierat, Horati; (*b*)
Acriſioniadæ non fuit illa minor.
Ipſa tibi plauſit Germania, ſeque dediſſe
Tunes, Metæ, Alpes, oppida victa, dolent.

(a) *Claudius Martellus ſeptennium in Militia Catholicæ Majeſtatis, & in bello contra Turcas pugnavit acerrime ſuis ſtipendiis. Incredibile eſt, quanta pertulerit vitæ diſcrimina; quibus conſiliis, quantaque dexteritate ſit uſus ad evitandas hoſtium inſidias, ut ex ejus Literis ad domeſticos. Apud Taurunum, vulgo* Belgrado, *quatuordecim menſium ſpatio duram ſubiit captivitatem, qua ingenioſiſſime eductus, militari Cæſareæ legionis munere perfunctus eſt. Ex Imperial. Diplom. Viennæ dat. 3. Febr. 1689 Pontificiis denique armis præfuit. Ex Diplom. Card. Ferrariæ Legati an. 1703.*

(b) *Horatius Brancadoro fortiſſimus dux, poſt multa, & glorioſa belli facinora, apud Cyrnæam Inſulam proditione interemptus eſt; ut teſtatur Epitaphium ad ſuperbum ejus ſepulchrum in pervetuſta olim Metropol. Eccl. a fratre poſitum:*

D. O. M.

Horatio Brancadoro in quolibet militiæ genere, ſed in expugnandis potiſſimum Oppidis præclaro, in Tunetano, Sabaudico, Germanico, & Methenſi bello, ſub Carolo V. Rom. Imper. maxima cum laude verſato, & ab eodem annua ſtipe donato, ac ſub Januæ auſpiciis in expeditione Cyrnæa ad Tribunatum evecto, ab improbis Cyrnæis per proditionem interempto.

M. Antonius poſuit 1560.

Sed Ligurum regno populum oppugnare rebellem
    Auſus, Cyrnæa proditione cadis.
Defletos poſuit cineres domus ægra ſepulchro;
    Nempe ſuo haud impar Artemis ipſa viro.
Alta minabantur templi Mauſola tigillis;
    Buſta ſuper ſimilis pene cubantis eras.
Martia claudebant emblemata utrinque cylindri,
    Atque triumphales ad latera exuvias.
Non tibi degenerem bellandi laude (*a*) Nepotem
    Inde novum Alciden proxima ſæcla ferent.
Illum autem Cretæ morientem vidit Oaxes,
    Dum Veneta irrumpens agmina fudit Arabs.
Quod niſi ab aggeribus turbaſſent tela catenis
    Non flueret tardo debilis unda pede.
Provehere Eumenidum furiis, Othomanne, ſuperbis;
    Jam tua Firmanas Luna timebit opes.
Altera Roma trucem ſenſit captiva latronem,
    Et Solymorum arces per tria ſæcla gemunt.
Sed non Ionii tibi parent æquoris oræ;
    Ebibit infamem qua tua claſſis aquam.
Tunc, & ſæpe Palatinis, Venetiſque coivit
    Noſtra etiã (o ſemper Marte favente!) manus (*b*).

(a) *Vincentius Silveſter Brancadoro adhuc juvenis Veneta in acie contra Turcas pugnavit acerrime; ſed cum Cretenſis Arcis muros audacter aſcenderet, æneo globulo ab hoſtibus percuſſus occubuit. Ex Epiſt. MS. a Duce Matthæo ad Nicolaum Sabbioni illius avunculum data an.* 1669.

(b) *In bello navali apud Echinadas Inſulas an.* 1571. *dimicarunt* 27. *Firmani milites, V. Mauroceni Hiſtoriam, & Vitam Saporoſi Matthæucci pag.* 63. *Firmi typis editam.*

Lunæ ubi naufragium vidit per cærula Præſtes (a)
Clamat, io; & clamans lætus ad aſtra volat.
Sex aderant illic fratres, (b) primoque (c) Sabinum
Sufficiunt; reliqui parta trophea ferunt.
At vos, Carole, Eraſme, Arabũ pia victima, Proſper(d),
Sanguine tinxiſtis balthea, vela, rates.

(a) *In eodem bello fuit Octavianus Adami, eodemque die, quo relata eſt inſignis illa victoria, imo eam jam videns, præ lætitia obiit repentino; quod conſtat ex Epitaphio Corcyrenſi: = Nobiliſſimis ortus natalibus Octavianus Adami Firmanus, ipſa virtute longe nobilior. Is enim ſub Pontif. Max. Paulo III., ſub Carolo V., ejuſque Filio Philippo, ac ſub Francorum Rege egregie meruit. Demum bellicis Corcyræ tormentis Præfectus, ac ductor Cohortis Venetæ Claſſis Imperatorem ſequutus, dum videret navali prælio in Turcas victoriam, lætus evolavit ad ſuperos, cujus oſſa hoc levi teguntur ſarcophago. Obiit die VII. Octobr. M. D. LXXI. = Ejus exemplum fuit extractum legali forma, juſſu D. Fr. Aloyſii Marcheſelli Hieroſolimitani Equitis, & Pontificiæ Triremis Ducis, coram teſtibus Excell. D. Franciſco Angelini Pontific. Triremium Auditore, ac nobili Ariminenſi, & D. Jacobo de Aſte Nob. Forolivien. an. 1697.*

(b) *Octavio Adami ibidem extincto ſuffectum fuiſſe Jacobum Savini refert Maurocenus ob ejus eximia in Venet. Remp. merita.*

(c) *Ibidem etiam fuere Annibal, Eraſmus, Latius, Bonfilius, & Aſcanius ejuſdem Octavii fratres. V. Maurocen., & Saporoſi vitam.*

(d) *Carolus Conſtantini Cretenſi bello acriter pugnans interfectus eſt. V. Jacobi Raccamadori MS. Hiſtor. & Ughel., ubi de Sulpicio Epiſc. Nucer. Itemque*

Marco etiam (a) impoſitū regimen; Cyrnoque ſubactâ,
Terruerat Thraces, Lunigerumque pecus.
Mars aderat: Romana illum, ac Firmana repente
Vox revocat. Soboles arma paterna capit.
Conjuge cum natis cæſo, Solimana (b) Virago
Adriacos Patres provida mater adit.

Cyprio interempti Eraſmus, & Proſper Berbacchini fratres. V. Seampolum, & Joannem Contarenum l. 2. pag. 106.

(a) *Marchettus Morronus poſt multa præclare geſta pro Galliæ Rege apud Corſicam, & pro Venetis in bello eodem Cyprio, a Romanis Pontificibus, & Firmano ſenatu inde revocatus in patriam, Joanni filio ſuo idem regimen, & gradus tranſtulit militares; ut legere eſt in ejus tumulo inciſum Epitaphium, ſive Elogium, qui ad hoſce uſque annos, in Metropol. vetere Eccl. extabat. D. O. M.*

Fortes creari fortibus, Firmana Morronum familia antiquitus pluries, at noviſſime in Marchetto, & Joanne comprobavit. Marchettus namque poſt egregia Galliarum Regi in Corſica, Venetiſque in bello Cyprio navata opera, ab eiſdem, a patrio ſenatu, ac Summis Pontificibus excelſa Martis munia aſſecutus, eouſque tranſmiſit bellicos in nobili ſanguine ſpiritus, & pro exemplo hæreditarium jus ad armorum regimina capeſſenda, ut unus in altero viſus ſit idem. Uterque enim Peditum, & Equitum copias in aciem duxit, arces, urbes, provincias rexit, tutavit bellator acerrimus, militiæ princeps.

Honuphrius Joannis filius, Marchetti nepos hoc pietatis opus ſibi, & poſteris extare voluit familiaris gloriæ incitamentum A. D. M. DCXLV.

(b) *Hieronyma de Montanis, cum Ludovicus Soli-*

Et reliquam in vinclis prolem conqueſta repoſcit;
Miraturque animum Curia, reque levat.
Huic etiam conſanguineos Veneta Inſula fratres (*a*)
Atridas eadem miſit ad arma duos.
Sed Firmana olim, cum jam nova (*b*) Roma gemebat
Capta, in latrones moverat arma cohors.
Quid furit in Gallos Stygiis emerſa lacunis,
Puram & Avernali fœdat Erynnis aqua?
In ſacra, & in ſuperos bello ruit impius hoſtis;
Gallia in Encelados non ſatis una poteſt.
Totius

mani ejus Vir Venetæ cohortis Tribunus eſſet cum tribus filiis in bello contra Turcas apud Cretenſem inſulam, ibique cum duobus filiis interfectus, ac tertius factus eſſet captivus, ſupplicem libellum eidem Reipubl. exhibuit, ſubſidium petens, pro tot expenſis a familia ſua in illa expeditione erogatis, quod ſuis ſtipendiis vir militaverat, & ad filium ſuperſtitem redimendum. Ex authentico ejuſdem familiæ documento. Item ex alio conſtat, familiæ ipſi præmium Jadrenſem Caſtellaniam attributam; & Jadriæ adhuc exiſtere ex eadem familia deſcendentes.

(a) *Antonius Montani Venetæ legionis ductor in Turcas. Ex Diplom. dat. an.* 1684. *itemque ex alio diplom. ejuſdem anni, ut refert Petrus in Veneta Hiſtor. lib. II. pagina* 443.

(b) *Caliſtus III. Rom. Pontif., cum ferre non poſſet, ut Conſtantinopolis a Turcis capta detineretur, milites undique coegit, & an.* 1456. *Firmum miſit Ducem ad milites colligendos, & ultra* 3000. *Firmanorum deſcripta in illa expeditione fuerunt. Ex Fragm. Firm. Lib.* 2. *pag.* 106.

Totius Europæ coeunt ad prælia vires;
    Et Firmana (*a*) Pio turma jubente venit.
Æra tonant: heu noſtrates quam fulmina notos
    Sola per, in campis, & fera tela Joves!
Vidit anhelantem cædes Bellona (*b*) tribunum,
    Et dare cogentem perfida monſtra fugæ.
Non illo graviora inter diſcrimina miles
    Acrior; alpini roboris inſtar erat.
Dorica virtutis tantæ non immemor Ancon,
    Romulea, atque alibi credita præſidia
Vulcani nihil exanimant tormenta, neque hoſtem
    Saucia crudeli vulnere terga timent.
Erubuit mors victa: æquant certamina palmæ:
    Non Mars; verum ingens Martis obedit onus.

(a) *Ex iis militibus, quos PIUS V. Rom. Pontif. miſit in Galliam contra Hugonotos hæreticos, fuerunt Saporoſus Matthæucius, ejuſque Nepotes Jacobus, Cæſar, & Conceptus; itemque Thomas de Nobilibus, Hieronymus Mancini, Antonius, & Conceptus Savini, Franciſcus Francolini, aliique non pauci, fortiſſimi Viri. Ex authenticis ſingularum familiar. Pontificiis, Regiiſque Diplomat. V. Saporoſi Vit. typis editam.*

(b) *Saporoſus Matthæucius ab ineunte adoleſcentia primos militiæ gradus aſſecutus eſt, atque a Rom. Pontif., Regibus, ac Principibus expetitus plura bella confecit, annorum ſpatio pene 50.; multis arcibus, ac præcipue Anconitanæ, Ferrarienſi, atque Avenionenſi præfectus eſt; juſſu PII V. ad M. Contorium contra hæreticos acerrime dimicavit, gravibuſque vulneribus ſauciatus, & pene ad mortem redactus, evaſit ſemper incolumis. Avenione deceſſit an. 1568. annos natus 63. Ex ejus Vita, ac Diplomatibus.*

Horret avita domus, ſuſpenſis pariete telis;
Editaque armigeros Ilias ornat avos.
Ex his Hieronymum (*a*) inprimis memorabile nomen,
Relligio, triplex infula, & imperia.
Hoc venit ad bellum Felix (*b*); Contorius agger
Illius effuſo ſanguine tinxit humum.
Pugnantem hic tamen adjuvit fortuna (*c*) Metellum,
Inde ſed invitus, patre vocante, redit.

(a) *Hieronymus Matthæucius primis Eccleſiæ, ac militiæ gradibus ſumma cum laude perfunctus eſt. Pro erigendo Firmi Cappuccinar. Virginum Monaſterio ſuas, ac ſororias ædes, necnon* 3000. *aureorum donavit. Obiit Viterbii Epiſcopus, in ejuſque ſepulchro hoc ſtatutum fuit Epitaphium.*

D. O. M.

Hieronymo Matthæucio Firm. Raguſinorum Archiep. primum, deinde Sarſenſi, demum Viterbienſi Epiſcopo, Legatione apud Venetos, Urbis Præfectura, ſumma exercituum Eccleſiaſticorum adminiſtratione in Gallia, & Belgio, Pannoniæ, ac Ferrarienſi bello, maxima cum laude probitatis, & induſtriæ perfuncto, animo in laboribus, ac rebus adverſis perferendis infracto, in ſecundis, quas tantum vix unquam adſpexit, moderato. Obiit XIII. Calend. Februar. M. DC. IX. Ætatis vero ſuæ LXV.

(b) *Joannes Felix Jelius in relato ſuperius bello contra Hugonatos ad M. Contorium interfectus eſt. Ex authenticis familiæ monumentis.*

(c) *Metellus Raccamadori in re militari verſatus contra hæreticos in eodem bello pugnavit; ſed infecta re domum revocatus eſt. Ex genealogica Hiſtor. familiæ MS., & in vita Saporoſi pag. 61.*

Digitized by Google

Quid mèmorem heroas diverſa ad prælia ductos?
Aut pedes, aut alio quilibet ibat Eques.
Apenninigenam (*a*) timuerunt capta Senarum
Mœnia; Nurſinam tradere juſſa manum.
Vinciadum fortes animi Romana (*b*) ſequuntur
Pro Fide, & Hetruſco ſigna movenda Duce.
Numinis ejuſdem accitu, tres ordine fratres (*c*)
Armantur; quamvis Gallica bella velint,

(a) *Dominicus Garulli Tribun. Militum in exercitu Caroli V. Imperat. Senenſem Urbem fortiter expugnavit; & inde ſiniſtrum S. Benedicti Abb. brachium tulit, atque in Eccleſia S. Auguſtini Oppidi Montis Monachi ad Apenninos patriæ olim ſuæ collocavit. Ejus hæredes, qui inde in hanc Urbem demigrarunt, inſignis hujus Reliquiæ clavem unam de jure aſſervant. V. Statuta M. Monachi ad calcem.*

(b) *Conceptus, Haſrubal, & Jasobus de Vinciorum familia, fortiſſimi milites; quorum prior copiarum fuit ductor Coſmæ III. Magni Hetruriæ Ducis, qui pictam ejus imaginem publica in Aula collocatam voluit; Alter in Galliam contra Hæreticos a PIO V. miſſus eſt: Poſtremus Cluſina in arce ad Principis jura tuenda ab hoſtibus fuit interfectus. Ex diplom. penes familiam, & opuſculo typis edito Firmi an.* 1713.

(c) *Joſeph, Nicolaus, & Vincentius Paccaroni fratres, quorum primi duo S. Stephani Equites, exercitus Ferdinandi II. Tribuni fuerunt; tertius ejuſdem, & Eliſabethæ Gallorum Reginæ tribunus. An.* 1590. *Ex Diplomatib. penes familiam.*

Tuſcia item accerſit (*a*) Petrum; ſibi Mantua poſcit;
Quorum a belligero (*b*) nobile nomen avo.
Antiquum genus huic ducunt e gente Togata,
Quam prius exciperent hoſpita tecta (*c*) Virum.
Bernardine (*d*), Equitum lumen, ductorque cohortis
Jungeris; Antonii (*e*), Teutonas inter obis.
Sardiniam preſſit, Cataloniaque arva (*f*) Joannes;
At juvenem heu fregit Maura per arma labor.

(a) *Petrus Sanctes Falconi ejuſdem Ferdinandi II. exercitus fuit tribunus. Ex Diplom. & ipſius famil. MS.*

(b) *Nicolaus de Guerreriis origine Parmenſis, de quo V. Carolum Saracenum parte 2., pag. 44., & Ægidium Jannini de Pergulæ Memor. §. 147. pag. 108. Ob ejus bellicam virtutem vetus familiæ nomen in Guerrerium fuiſſe mutatum, ex MS. Monum. aperte colligitur.*

(c) *Franciſcus Gonzaga IV. Mantuæ Marchio a Guerreriis Firmi cum ſociis exceptus eſt. V. Anton. Poſſevin. pag. 692. num. 505. Adſciti ſunt ejuſdem comitatui, & militiæ Lodoicus, Vincentius, & Baptiſta Guerrerii fratres. Ex Famil. MS.*

(d) *Bernardinus Paccaroni Vincentii, & cæterorum Frater, Hieroſolym. Ordinis Eques, Magni Hetruriæ Ducis, ac Friderici Gonzagæ Tribun. an. 1559. V. Familiæ monum.*

(e) *Antonius Morroni Gallor. exercitus fuit Tribunus, obiitque Francofurti adhuc juvenis, hac noſtra ætate.*

(f) *Joannes Antonius Sabionius primo in Sardinia pro Hiſpaniæ Rege exercitui præfuit; deinde in Catalaunia ſeditioſos continuit; Dux denique ſub Principe Pio contra Mauros bellicis laboribus fractus, Burgis Caſtellæ veteris capite adhuc juvenis obiit. Ex authenticis Literis, & Diplom. penes ejus hæredes.*

Teque Palatinis viderunt, Angele (*a*), turmis
Præpoſitum e longo tempore Vindelici.
Jam Sabioniadum coluit Neoburgica Sanguis
Numina; in hunc eadem protegit Aula diem.
Perge modo, & multis unum qui e millibus omnes
Æquet, magniloqua voce, Thalia, refer.
Romuleæ quavis Nicolaum (*b*) exercuit Urbis,
Publica res quoties poſceret, imperium
Felſineum regimen, Mutinæque, Hirpinaque cura,
Et Peruſina, Anio qua ruit, Æmilia;

(a) *Angelus Sabionius*, *armorum Comitis Palatini Præfectus; ut ex Opuſc. Firmi typis edito an.* 1735., *&* *ad ſereniſſimum Electorem Carolum Joſephum de Linea Susbakia dicato*, *ubi vetus familiæ hujus clientela cum Principibus Palatinis*, *Bavariæque Ducibus*, *eorum ſervitio mancipatæ oſtenditur*.

(b) *Nicolaus Bonafide*, *qui*, *ut ait Ughell. ex Apoſtol. Protonotar.*, *ac Romæ Gubernatore*, *ad Cluſinum Epiſcop. ſub Julio II. aſſumptus eſt an.* 1504., *fuit ingentis animi Vir*, *ideoque variis*, *gravibuſque negotiis Eccleſiaſticis adhibitus*. *Pontificiæ Ditionis multas Civitates adminiſtravit*, *præcipue autem Bononiam & eo quidem maxime tempore*, *cum Ludovicus Gallorum Rex Julio II. infeſtus*, *reductis iterum Bentivolis antiquis dominis*, *civitatem illam novo ſibi fœdere copulavit*. *Nicolaus igitur*, *Bononia a Gaſtone de Fojis capta*, *in ſervitutem abductus eſt*; *tametſi paulo poſt dimiſſus*, *ut Guicciardinus narrat lib.* 9. *Poſt quam cladem diu ſuperſtitem illum fuiſſe conſtat*. *Præter Bononiam*, *Tyburem*, *Peruſiam*, *Flaminiam*, *Picenum ſemel*, *&* *Beneventum*, *Forolivium*, *Mutinam bis*, *&* *Romam ter*, *ſumma cum laude rexit*, *atque Eccleſiaſticum exercitum in hoſtes Eccleſiæ moderatus eſt*. *Hactenus cit. Ughell.*

Adde & Flaminiam, Picenum, & ſæpius armis
    Compulſos hoſtes flectere colla Deo.
Junxerat armorum Præſtes ſibi fœdere terras,
    Qua pater (*a*) ex urna fundit Iſaurus aquas.
Hinc, & Iſauripotens inſigne (*b*) acceſſit avito,
    Ut notat in patriam tot benefacta (*c*) lapis.
Cujus ope, infeſti tandem periere (*d*) tyranni,
    Et materna horum reddita cæde ſalus.
Tanta Viri pietas, pleno adſcribente Senatu,
    Præmia (*e*) conſtanti laude repenſa tulit.

(a) *Nicolaus idem Bonaſides Urbinatis Ducis exercitus Præfectus.*

(b) *Gentilitiū familiæ* de Robore *ſuo ſtĕmati inſeruit.*

(c) *Sculptum ejuſdem ſtemma in Academiæ Palatii fronte, eique appoſita hæc extat Inſcriptio:*

Nicolao Bonaſide Epiſcopo Cluſino Firmanæ Patriæ Reſtauratori L. D. P. D., hoc eſt, Lege Decurionum Populus decrevit.

(d) *Oliverotus Eufreditius, & Ludovicus ex fratre Nepos Firmanæ Urbis Tyranni, de quibus infra, Nicolai Bonaſide opera interfecti fuerunt.*

(e) *Camillus Bonaſides, ejuſque ſucceſſores inter Patritios Cives adſcripti ſunt. Ex publico conſiliorum Codice, cui titulus* Conſilia, & Cernitæ 1518. & 19. *prope finem, ubi hæc habentur: Die* 30. *Martii* 1520. *Secunda Propoſit. Domino Camillo Bonaſide, qui carus eſt Rĕmo Nicolao, provideatur de aliqua dignitate, & honore. Conſultor dixit, quod pro labore, & diligentia nunc habita in extirpatione Tyranni, D. Camillus donetur militiæ, & aſcribatur in Regimine, & omnes ſuccedentes de prole illius habeantur pro Civibus privilegiatis, & arma Rĕmi Dōni ſculpta ponatur.* Ponatur ad balluctam: Communiter omnes.

Scilicet hanc patriam heroum gens horruit haſtis
Extera, nec bello par fuit ulla plaga.
Perſequar excubias, & propugnacula? Cives
Terrarum adſciti quolibet, & marium.
Gallorum ad fines valli tutela (*a*) Sabino
Credita: ſaxa nepos Romula (*b*) Cæſar habet.
Poſt eadem Petro (*c*) commiſſa Adriana crepido;
Litora Tyrrhena (*d*) Curtius arce domat.
Turris Hydruntinæ defenſor Troilus ardens (*e*)
Ad pacem Venetos, vel dare terga movet.
Magna (*f*) Saporoſi Balearia caſtra tueri
Gloria, & Hiſpani Regis amore ſtui.

(a) *Conceptus Savinus bene de Galliæ regno meritus in bello contra Hæreticos Avenionenſis Arcis Caſtellaniam, ut vocant, aſſecutus eſt. V. Saporoſi Vitam pag. 61. & Pontific. Diploma.*

(b) *Cæſar Matthæucius Saporoſi nepos Equeſtri Militiæ S. Michaelis cooptatus, patruo apud Julium III. P. M. flagitante, Adrianæ molis Rector conſtitutus eſt. Ibid.*

(c) *Petrus Matthæus Raccamadori Urbaniæ arcis, & Adrianæ ejuſdem molis ab Urbano VIII. decretus eſt Rector. Ex Famil. document., & Diplom.*

(d) *Curtius Pacini Arcis ad Centumcellas, vulgo* Civitavecchia *Rector fuit. Ex Pontif. Diplom. dat. 24. Febr. 1624. Et ex Proceſſ. Ord. S. Stephani.*

(e) *Troilus Azzolinus Arcis Brunduſii Præfectus, Venetos, qui Urbem illam clam irrepſerant, repreſſit, & ad pacem, vel fugam coegit. Ex Lapide ibi conſtituto, & authenticis Familiæ MS.*

(f) *Saporoſus Matthæucius Senioris Pronepos Tribun., & Majoricæ arcis in Oppido S. Caroli, ſive Palmenſi ſine exemplo Rector ob eximia ejus merita,*

At ſi quis forte in matrem conſurgeret hoſtis,
Læſave majeſtas, aut violata fides;
Nuſquam Firmana major conſtantia; Bruto
Durior in prolem ſæviit ipſa parens.
Non generi, nec imaginibus parcebat avorum,
Vel titulis (*a*), ſi quod forte rebelle caput.
Nec verita eſt etiam, ſeque, & ſua perdere, diſpar
Viribus; haud animi robore facta minor.
Quis Germanam aciem neſcit, Dominique (*b*) Suevi,
Cui non ad Tinnæ cognita caſtra vadum?

& quod Regio Matrimonio operam præſtitiſſet. Ex Diplomate Philippi V. Hiſpaniarum Regis dat. Matriti 2. *Febr. an.* 1716.

(a) *Quamplures Firmanos perduelles capite cæſos paſſim invenies apud Adam. Firm. Fragm., inprimiſque apud Antonium Nicolai in Chron. MS., equorum numero leges aliquot etiam Fratres, ſeu D. Agathæ Præceptores, ut eo tempore vocabantur.*

(b) *Fridericus, Æneobarbus cognomine, Suevus Imperator, apud ædiculam S. Mariæ Jacobi ultra Tinnam fl., ut conſtat originali pergamena in Archivio Priorali Elpidienſium ſervata, caſtra poſuit. Imperiales ad hanc Urbem legatos, militeſque miſerat, ut a Firmanis tributa colligerent, qui ea ſolvere recuſantes, quotquot miſerat Imperator, partim repulerunt, partim necarunt. Qua injuria ille accepta, adeo exarſit, ut Civitatem pene omnem XI. Calend. Octobr. an.* 1176. *incendio deleverit. Tanta calamitate abacti Cives per Vicos diſperſi, hic, illucque ſe receperunt. Ea de re ſuorum temporum ſcriptor D. Antoninus Firmum tum capite demiſſum figurate per quamdam ſimilitudinem Caſtellorum civitatem nuncupavit; quaſi diceret, Urbem illam, cujus Cives veluti anguis adhuc vividi*

vividi

Digitized by Google

vividi Spiritus particeps in caſtra ſua ditioni ſubjecta, provido conſilio receſſerant, non humilem fuiſſe atque abjectam, ſed veteres integros ſenſus, fato majorem tunc agitaſſe. Huic porro cladi referunt Scriptores, & inprimis Adamus Fragm. Firman. pag. 30. a tergo, tot acta Martyrum, & Sacra Lipſana SS. tribulium, ac Patronorum fuiſſe conſumpta; quorum tamen memoriam quotannis Firmani recolunt, quamvis oſſa, atque cineres pene omnes immuni illo infortunio deperierint. Haud ita multo poſt Imperatorem pœnituit, tam ſevere in hanc Urbem a ſe fuiſſe animadverſum, ſecum animo reputantem, æquius fuiſſe, illam perferre injuriam, quam ſuæ potentiæ in Piceno præcipuum evertere propugnaculum. Itaque re melius cogitata, cæpit Firmanos, quorum virtutem fuerat admiratus hoc tempore, ſibi blanditiis conciliare, eos adhortans, ut Urbem funditus dejectam reſtituerent, eos idcirco ab omnibus impoſterum tributis liberans, addito Diplomate, quo liberam Civitatem, nullique, niſi Imperiali obnoxiam poteſtati declaravit. Quo factum eſt, ut Firmani Cæſaream Aquilam proprio ſtemmati tunc infererent, eoque ad hæc uſque tempora ſit uſa Civitas, Crucis ſigno lateribus addito, ut plurimorum civium pietatem, & ſtrenuam navatam operam in bellis contra Saracenos aſſereret. Incendii hujus veriſſimam, non fabuloſam hiſtoriam graviſſimi Scriptores non pauci eſſe teſtantur, eamdemque cauſſam, quam attulimus, aſſignant. V. de hac re fuſius, præter Firm. Fragm. pag. 28. a tergo, etiam Lucam Lindanum pag. 394., Acta SS. apud Bolland., inprimiſque Breve Alexandri III. in Prior. ſecretiore Arch. exiſten. V. denique Regeſtum *a me tranſcriptum, cui tit. Jura Eccl. Firm.*

Miſerat, hinc ferrent qui vectigalia, turmæ
　　Reſtitit Urbs, hominum non ſine cæde fugans.
Arſit ad hæc animo Cæſar, turpiſque repulſæ
　　Protinus ultores ira paravit equos.
O Urbem antiquam, & celebrem, belloq; ſuperbam;
　　O Picenipotens, & genus acre, caput;
Tum quid eras, lento tubicen cum murmure Teuton
　　Concutit arſuros (pro ſcelus!) igne lares?
Tempora noctis eunt; tædas, mora nulla, Satelles
　　Admovet; & muros denſa favilla rapit.
Sæviit extemplo circum Vulcanius ardor;
　　Turres, & Divæ (*a*) templa vapore rubent.
Et jam flammarum tabulata per alta volutis
　　Vorticibus, flagrant omnia, tecta cadunt.
Ingruit heu gravis horror, & heu populi fremor ingens
　　Fit; mulierque ululat, vir, puer, atque ſenex.
Corripuere viam trepidi, (data namque facultas)
　　In ſua, non longe quo fuit ire via.
Cæſareus deſedit ubi furor, ilicet iram
　　Devovet, atque ejus corda ſerenat amor.
Oſſa peruſta iterum patriæ in nova membra reduci,
　　Et fore, quam fuerant, liberiora jubet.
Publica libertas vicit; redit altera Phœnix,
　　At minor, & multo clarior (*b*) a cinere.

(a) *Cathedralis Eccleſia pervetus, quam Syxtus V. in Bulla cenſet Sæculo V. ædificatam, cum illo eodem incendio fuiſſet omnino deleta, Alexander III. P. M. miſit ad Firmanos Breve, eos adhortans ad illam ex integro reſtaurandam. V. Jura Epiſcop. ſub finem.*

(b) *Non multo poſt idem incendium, Firmana Civitas vetere minor, ſed nobilior eſt reædificata. Veterem porro majorem fuiſſe patet ex ruderibus.*

42

1189

Digitized by Google


Occidens
3
1. Vet. Eccl. Metropolit.
2. Ant. Prior. Paletium.
3 Arx excisa a. 1447.
4. Girgfalcū Civit. FIRM

Colle reſurgebant Firmani utrimque pénates;
Virginis & media creverat arce Domus.
Jamque hærens lateri, ac fronti Babel óbſtrepit ære;
Curiaque in clivi margine (*a*) jura dabat.
Molis inacceſſæ caſtrum diviſerat æquor,
Et brachia ambierant, turrigerique lares.
Quid capiti ſtruis ipſa tuo, ſata Marte virago,
Urbs mea? munimen quæ tibi fata parat!
Ter centena (*b*) tuos cernet rota Cynthia caſus;
Ah quoties per te vinculá nexa gemes!
Ecce Sueviades (*c*) in te dominabitur alter,
Senaque (proh miſerū!) turpia monſtra prement.
Et ſi quiſque luet pænas, nec abibit inultus,
Heu! lachrymis, auro, ſanguine emenda quies.

F 2

(a) *In manuſcripto Miſſalis Rom. Pecudino Cod. Sæculi XIV. ad Miſſam in Feſto Aſſumptæ graphice picta apparet ſuperior pars Urbis, quam Girofalcum appellabant, cujus in medio ad clivi radices Cathedralis Eccleſia nuper dejecta, ejuſque ad frontem procera Turris; Orientem verſus, antiquum Priorale Palatium, ubi Prætores, Rectoreſque Urbis, & Provinciæ reſidebant; ad Occidentem denique Arx, de qua infra, Urbis, & Piceni miraculum.*

(b) *Trecenteſimo anno ab arce condita, ut tyrannis aditus præcluderetur, exciſa ea eſt funditus, unanimi populi conſilio, totoque illo intervallo varii Reges, Duces, ac Rectores, hujuſmodi defenſi propugnaculo, tyrannice Urbem tenuerunt.*

(c) *Manfredus Friderici Æneobarbi filius, Jeruſalem, & utriuſque Siciliæ Rex Firmum, ejuſque totum pene ditionem vi occupavit, ſed non multo ante quam alibi in bello cæſus eſſet, Vicos ferme omnes, & Caſtra Civitati reſtituit. V. Fragm. Firm. pag. 36. a tergo.*

Primum in Firmigenas dominandi infræna libido
  Roggerium (*a*) inflammat nomine, & arte Lupū.
Horret Tinna armis; odiis concurritur æquis:
  Irruptoque latro milite cæſus obit.
Hinc Viridenſe genus biſdeno monſtrifer anno
  Dux arcem invadens (*b*) impia lora premit.
Credibile eſt, omnes ululaſſe ad limina diras,
  Inque odia accenſos exacuiſſe lares.

(a) *Roggerius Lupi Firmanæ Urbis invaſor, ac tyrannus bellum geſſit contra Firm. Cives in planitie Tinnæ fluminis, & cum diu æquo Marte dimicaſſent, tandem victus fuit, & interfectus, anno* 1270. *V. Frag. Firm. cap.* 46. *pag.* 63. *a tergo*.

(b) „ *Mercenarius de Monte Viridi (verba ſunt*
„ *Adam. Fragm. Firm. lib.* 1. *cap.* 54.) *Firmanam*
„ *Urbem tyrannice adminiſtraverat an.* 1290., *eamque*
„ *adulteriis, occiſionibus, & omni ſcelerum genere in-*
„ *quinaverat; nemoque erat, qui auderet adverſus*
„ *eum pro patriæ libertate conjurare: Sed quoniam*
„ *Deus non patitur diutius affligi populum ſuum,*
„ *propterea cum ipſe Tyrannus cum ſeptem equitibus,*
„ *animi gratia, extra portam S. Petri veteris (nunc*
„ *S. Franciſci de Paula) exiiſſet, a Girardino F.*
„ *Joan. de S. Elpidio, & Fino Germano Prioris S.*
„ *Petri, Mathæo Fanenſi quatuor equitibus ſtipato, tri-*
„ *buſque famulis, qui in eo Cænobio delituerunt, inva-*
„ *ſus, multis vulneribus confoſſus occubuit, & a Fra-*
„ *tribus D. Franciſci nudus ſine ulla funebri pompa ſe-*
„ *pultus fuit. Maximus tamen fuit in urbe motus.*
„ *Sequenti autem die Lunæ in platea S. Martini ma-*
„ *xima turba fuit in populo vociferanti: Vivat popu-*
„ *lus, & pereant vectigalia; omniaque decreta facta*
„ *ab ipſo tyranno fuerunt reſciſſa &c.*

Digitized by Google

Tot vero inſidias thalamis quæ copia fandi
Explicet, una hominum millia cæſa die?
Ipſaque nona æſtas; miſeri ſpectacula ludi,
Vidit inhumana cæde rubere vias.
Nullane vis contra ſcelerata ulciſcitur auſa?
Vota Urbis prona ſuſcipit aure Deus.
Ille furentem animum fregit; jam protulit amens;
Atque latebrarum neſcius, urbe pedem.
Huic ſeptem comites; totidem erupere latentes;
Sternitur inflicto vulnere corpus humi.
Ultori plauſere omnes, mutataque veſtis
Lætitia; at facti palma, Cluana, tua eſt.
Turpes portento exequiæ. Lux poſtera fulſit;
Circumfuſa horret voce platea frequens.
Clamat, io Pax, turba; tyrannigenæque recedant;
Proferat inſidians hinc, mora nulla, pedem.
Improba prædonum jam vectigalia ceſſent;
Et ſtet jure ſuo libera res populo.
Aſſenſere Patres; plebi traduntur habenæ
Urbis, inexperta lora pigenda manu.
Undique ſed genere, atque armis coiere potentes (a);
Vulgi ad judicium turpe ſubeſſe rati.

(a) *Semper ea fuit Rerumpubl., præſertim in Italia conditio, ut partium ſtudio pellecti cives, alii plebem nobilitati præferrent; alii vero optimates ſumma imperii poteſtate dignos putarent. Hinc ortæ antiquitus Rom. plebis ſeceſſiones; hinc civitatum diſſidia, & Reip. everſiones. Conſule hiſtoriam. Peruſia, non admodum diſtans, modo Nobilibus paruit, modo eos ejecit, atque omni rerum adminiſtratione interdixit. Huic infortunio, & viciſſitudini Firmana etiam urbs fuit obnoxia; cujus in Mercenario, de quo ſupra, deinde in Gentile a Molliano, ac cæteris, de quibus in-*

Condictaque die excurrunt, populique ſalutant
Gentilem armati, plebe fremente, ducem.

fra, clariſſimum habemus exemplum. Is cum videret minorum civium inſolentia, ac temeritate Firm. regi Remp., ægre ferens, nobiles ſubeſſe vilioribus, conſilio, ac viribus nobilium, ac præcipue ſtimulis Boſſii a Carnaſciale, qui turpe exiſtimaret, patriæ regimen ab humiliori plebecula teneri, Reip. clavum capeſſit. Itaque conſilio inito cum potentioribus, quorum opera, atque opibus juvari maxime poſſet, indicto die, evocatis conjurationis ſociis, atque munitioribus locis occupatis, factaque irruptione ab iiſdem, populi Dux Gentilis appellatus eſt, quem callidum, & excelſi animi virum, nobilium hominum dignitatem tueri poſſe confiderent. Res nullo negotio, quo cupiebant, perducta eſt. Quare a Democratia ad ſpeciem quamdam Ariſtocratiæ dominationis, quibuſdam legibus, ac conditionibus traducta eſt Civitas, ſub unius quaſi Principis gubernio, ac dominio. Imperium feliciter, quamvis temere ſuſceptum, brevi annorum quindecim curſu, diſſolutum eſt; licet vafro conſilio cum Camertibus, ac Malateſta Cæſenate percuſſo fœdere, confirmare, atque ad poſteros perducere ſtuduerit. Inviſus enim Pontifici, & excommunicationis laqueo irretitus, neque imperium, neque res ſuas familiares, nec denique vitam ſuam, & filii, opera Card. Ægidii Albornotii Marchiæ Legati, ſervare non potuit. Hæc, & his plura habentur apud Adamum Fragm. Firm. cap. 57. lib. I., & in Chronico Antonii Nicolai Notarii, & ad ejus calcem Hiſtoria de origine DD. de Malateſtis a M. Batallio Ariminenſi latine ſcripta, & a quodam Tobia Veronenſi, vel potius ab Anonimo Scriptore italice reddita, quæ in ſecretiore Priorali Archivio aſſervatur.

Digitized by Google

Non inopinæ adeo potuit vi obſiſtere vulgus;
    Quæ ſimul adjunᴄto fœdere major erat.
Sic ubi decurrunt colleᴄtæ e montibus undæ
    In fluvium obniti non valet ullus obex;
Ille quidem excedens ripas, late omnia vaſtat,
    Et ſata, & abreptos obruit unda greges.
Ter quinas hyemes ſine ſpe captiva gemebat
    Libertas, iterum ferre coaᴄta jugum.
Deſcivere repente animi; fregitque rebelle
    Ultrix perfidiæ fulmine Roma caput.
Ægidii obtruncant equites, proleſque perempta eſt;
    Et Mirmillonum cæſa caterva perit.
Excuſſo reᴄtore, præeſt (*a*) Inſubria puppi
    Felſineam Ægidio paᴄta probante vicem.

(a) *Mediolanum Inſubriæ caput, hoc eſt, Joannes Vicecomes de Olegio Mediolanenſis, vir potens, & in re militari apprime verſatus, ſublato e vivis Gentile, Firmanæ Urbis Prætor a populo decretus eſt. Probavit Rom. Pontifex, quod ita Bononiam, quam Joannes tenebat, fore liberam putabat. Initis igitur paᴄtis, & conditionibus quibuſdam cum Ægidio Card. Albornotio Pontificio in Italia Vicario, & poſthabita Urbe Viterbienſi, quæ propoſita ſibi fuerat, ad hanc potius Civitatem, a qua vocabatur, ultro conceſſit non ſolum Prætor eleᴄtus, ſed hujus Urbis, & totius Provinciæ Reᴄtor a Pontifice deſignatus an.* 1360. *ut ex pergamena, quæ in ſecretiori hujus Urbis Archivio ſervatur. Pie hic obiit in ipſo Firmanæ dominationis Palatio an.* 1366.*, ſepultuſque eſt in Templo Majoris Eccleſiæ; ubi nunc extat magnificum ejuſdem ſarcophagum quatuor columnis ſuſtentatum, cum hac Epigraphe* = *Inclyti, magnificique Domini, Domini Joannis de Olegio, quondam Reᴄtoris Marchiæ, & ad Chriſtum evo-*

Digitized by Google

Majorum titulis, opibuſque, & rebus agendis
Inclyta: nil vidit grandius Urbis apex.
Reddita pax olli plauſit; circumdata muris
Mœnia, & in triplices compita aperta vias.
Omnia, poſt binam trieterida verſa repente,
Et Firmana novo turbine adempta quies.
Rector obit: flevere omnes, ter flevit ad arcam
Artemis (*a*) injecto pulvere, terque Nepos.
Obductum heu miſero vulnus recruduit ictu!
Septeno acceſſit vere ineunte dolor.
Ater enim invaſit Scinis, informiſque Procruſtes (*b*);
Quantum inſtar patris cæde furentis erat!

Arx

cati an. M.CCC.LXVI. VIII. Octob. corpus ſepulchro tumulatur præſenti = Civitatem hanc tum publicis, cum privatis ædificiis ornavit, novis etiam mœnibus cinxit; optime de Rep. meritus. V. Firm. Fragm. lib. I. cap. 58. *pag.* 41.

(a) *Joannis de Olegio morti, ac funeri interfuere Antonia ejuſdem uxor, & Joanninus ejus ex fratre nepos. Hujus rei extat memoria ad calcem Breviarii Rom. MS. in Operariæ Archivio.*

(b) *Anno ſeptimo poſt Olegii obitum, hoc eſt an.* 1373. *Raynaldus de M. Viridi Mercenarii filius Firmum vi occupavit, omnium peſſimus tyrannorũ, quem Firmana ſtatuta Rubr.* 6. & 7. *lib.* 2., & 5. *lib.* 3. *ſecundum Neronem vocant, & maledictæ memoriæ; & tyrannidem uſque ad an.* 1379. *exercuit. Ejus autem immanitatem cives denique exoſi, Anconitanorum, Recinetenſium, & Rodulphi Varani auxilio, ut eum facilius caperent, atque interficerent, ad Caſtrum Montis Falconum, quo ſe tyrannus receperat, profecti ſunt, eumdem locum obſederunt, eumque cum familia captum in civitatem contumelioſe deducentes, extremo*

Arx domina immundæ trahitur ſervire cohorti;
Ora, minæque gravant; Martis ubique furor.
Aggeſtæ procerum ſtrages, patriæque parentes
Avulſi, & rabida trux Libitina manu.
Et qui publica res (proh numina ſancta!) reſurget?
Tanta malorum urget vis, ſcelerumque chaos.
Quid queror? Encelado impendet jam fulmine Cœlũ,
Atque in Terrigenæ concidet Æthna caput.

G

ſupplicio damnarunt. Vide Firm. Fragm. lib. 1. Cap. 62. Hæc vero fuſius ita refert Antonius Nicolai Notarius Raynaldo coævus in Chron. MS. = Eodem milleſimo, nempe 1379., & die ultima Maji, D. Raynaldus, D. Luchina ejus uxor, Angelella ejus famula, DD. Mercenarius, & Luchinus eorum filii legitimi, duo alii filii baſtardi parvi, Paulinus de Maſſa, Cola Minicutii, & multi alii ſequaces, & complices dicti Raynaldi, virtute Dei altiſſimi fuerunt capti in Caſſaro M. Falconis, modo, & ordine infraſcripto, videlicet: Ægidius de Monturano, & Bonaccurſius, qui erant cum D. Raynaldo, fuerunt proviſi a Commune Firmi de 1000. Ducatis inter ipſos, & quinque Ducatis pro quolibet menſe, quando volebant ſtare in civitate Firmi, dederunt dictum Caſſarum in manibus Communis Firmi, & fuerunt proditores. Eodem anno, & die 2. Junii, ſupradictus Raynaldus, cum omnibus ſupranominatis fuerunt deducti ad Civitatem Firmi ad portam S. Juliani. Quilibet fuit portatus in uno aſino retro, & corona ſpinea in capite; & illico, cum omnes brigatæ eſſent in platea S. Martini ad tripudiandum, D. Raynaldus, Uxor, & duo filii in dicta platea coram omnibus fuerunt decapitati; alii de die in die decapitati, & ſuſpenſi.

Digitized by Google

Jam ſeptena æſtas ierat; miſerata refulſit
Poſterior prima Juni, & amica dies.
Ille Appennini fugiens male cautus ad arcem,
Non ibi conductos ſenſit adeſſe dolos.
Vernarum inſidiæ produnt; ad mœnia captum
Cum grege, & obverſo corpore aſellus agit.
Intexunt dumeta caput; plateamque frequentant
Urbs tota, & viſo turba latrone fremit.
Cæſorum aſſurgit capitum ferale trophæum;
Suſpenſis arbor non ſatis una reis.
Huc ruit ex alto miſer, & crudelibus auſis;
Turpe parentari ſic pecus aſtra jubent (a):
Perfidiæ vindex Nemeſis monumenta reliquit
Poſtibus, infames ad nigra pila notas.
Verum ubi ſeptenum exegit rota Cynthia luſtrum,
Amota e ſummo turpia ſigna tholo (b).

(a) *Ludibrio alluditur, quo fuit affectus idem Tyrannus. Sic enim pergit Hiſtoricus:* = *An.* 1381., & 25. *Februarii, fuerunt ſculpita capita D. Raynaldi, & filiorum in quodam lapide, & poſtea fuerunt in cacumine lapidis ſuffixa in platea S. Martini, ubi prædicti fuerunt decapitati, & in capite dicti D. Raynaldi ſic ſculpiti videbantur carmina ſic dicentia.*

Tiranno fui peſſimo, e crudele,
Sol per far mal di me, e di Luchina,
Cari miei figli pateſte diſciplina.

(b) = *Item de an.* 1414. *die* 16. *Maji, pergit idem Antonius Nicolai Notarius, lapidis columna, in qua erat ſculpita imago D. Raynaldi, fuit levata de platea. Iſto tempore erant Priores, videlicet: Angelus Nicolai de Sabbione Contratæ Caſtelli &c.* = *Ejuſdem Raynaldi conſanguinea nupſerat eidem Angelo; veroſimile ergo eſt, hunc auctorem fuiſſe ad tollendum eum*

Digitized by Google

Frater (*a*) opem ſero tulerat, fratriſque perempti
Ultores auri copia vertit equos.
Conjurata iterum (*b*) venerunt agmina; miles
Territa Romano (*c*) ſub duce tecta petit.
Illa iterum argenti fugat ingens pondus, & auri;
Reſtitit huic populi vis, aditumque negat.
Tantarum hæc, & plura inter diſcrimina rerum,
Longius hinc aberat non reditura quies (*d*).

lapidem, adeoque magnæ auctoritatis, & famæ apud Cives ſuos, qui id potuerit obtinere.

(a) *Eodem anno, quo interfectus eſt Raynaldus, & die* 4. *menſis Junii, inquit citatus Antonius* = *Gentes Joannis Azzi, & ipſe Joannes, cum multis Teutonicis, cum Nicolao fratre Raynaldi, venerunt ad ſuccurrendum D. Raynaldum, credentes eum invenire in Rocca Montis Falconum; ſed Deus noluit; tamen fecit ad poſſe contra Commune Firmi, & alios collegatos, & D. Rodulphus dedit eis victualia; tamen fecerunt multum damnum; & Commune Firmi ſolvit eis* 1500. *Florenos auri, & receſſerunt in hora mala pro eis.* = *V. Etiam Firm. Fragm. l.* 1. *c.* 63. *pag.* 46.

(b) *An.* 1382. *venerunt in agrum Firmanum cum exercitu Guillelmus Brittannus, & Joannes Azzi; verum accepta a Firmanis ingenti pecunia abierunt. V. Firm. Fragm. l.* 1. *cap.* 68.

(c) *Bultrino Eccleſiaſticorum militum duce ad portas Firmanæ Civitatis cum copiis adventante, populus timens, ne quid mali ſibi accideret, arma ſumpſit, & portarum claves a Prioribus accepit, & receſſit exercitus. Vide Firm. Fragm. lib.* 1. *cap.* 79. *pag.* 51.

(d) *Extorrium Firmanorum, atque exterorum militum excurſionibus Civitas, & ager non modica tulit incommoda.*

Natorum hinc ſubita oppugnat diſcordia matrem;
Atque ſibi pagum vi dolet inde rapi.
Extorres animi facto irrupere (*a*) tumultu;
Intuleratque vagi militis ira metum.
Qui reprimi poterant lites? quis ferre labori
Suppetias, adeo nulla, & adeſſe mora?
Ut primum extremas pervenit rumor ad oras,
Et, qua Romanæ Virginis (*b*) urna, lares;
Bellacem ſocia mittunt cum gente (*c*) Marinum,
Æmiliæ antiquum germen, equeſtre genus.
Irruit in conjuratos Atlantius ales
Alter, & effuſis hoſtibus, orta quies.
Mox alios in vincla, alios immiſit ad umbras;
Læta inter populi gaudia victor abit.
Jure illum (*d*) regio decrevit ad Appula bella,
Per quem ad maternum filia ducta ſinum (*e*).

(a) *Firmanos exules vi Urbem ingreſſos, & per domos excurrentes Marinus de S. Victoria cum Comite de Carrario, aliiſque Comitibus ſociis fregit, & partim interfectis, partim ductis inde captivis, gravi periculo Civitatem liberavit. Firm. Fragm. l.* 2. *cap.* 4. *pag.* 61.

(b) *S. Victoriæ V., & M. corpus ab oppido ejuſdem nominis nuncupato ſervatur, & colitur.*

(c) *Marinum ipſum potentiſſimum virum fuiſſe ex familia de Marinellis Forilivienſi ad oppidum idem traducta aperte comprobant publica documenta penes eamdem familiam.*

(d) *Piceni provincia Marinum ipſum, & ſocios conduxit ad Apuliam redimendam. Firm. Frag. lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 59.

(e) *Comes idem de Carrario M. Vidonem Conradum vi cepit. Oppidi vero incolæ ſecreto ad Mari-*

Reſpirare videbatur jam libera curis
 Publica res; abiit non tamen Urbe timor.
Alter ab Inſubria vento velocior inſtat
 Miles (*a*), & in vacua conſtitit arce Sinon.
Ille Italas Urbes pugnando afflixerat armis;
 Ipſaque collectas Roma timebat opes.
Blandiloquens erat ingenium, pagique (*b*) rebelles
 Ad Firmanam Equitis vi rediere fidem.
At dominantem animum privati oſtenderat auri
 Per fas, atque nefas irrequieta fames.

num de S. Victoria miſerunt opem petentes, qui cum ſuis militibus accurrit, Oppidum, ejectis hoſtibus, recepit, & Firmanis reſtituit. Firm. Fragm. lib. 2. cap. 7. pag. 62. a tergo.

(a) *Franciſcus Sfortia Mediolanenſis, hortatu multorum de Piceno, Joannem Vitellium Rectorem ægre ferentium in Provinciam venit, totamque dierum quindecim ſpatio occupavit. Rebus ſuis Firmani conſulentes, illi ſe coacti dederunt, an.* 1434.

(b) *Ea ſe Firmani conditione, ac pacto dederunt, ut idem Sfortia curaret S. Angeli in Pontano, & Gualdi caſtra a Camerini Regulis occupata Firmanæ ditioni reſtituenda; quod præſtitit. Firmum triumphantis inſtar ingreſſus eſt, ingentes copias ſecum habens. Alexander Franciſci frater arce Gerionis non invito cuſtode potitus eſt. Urbis nobilitati vehementer ſtudens, publicam S. Martini plateam multitudinis recenſendæ haud ſatis capacem dirutis officinis, & domibus ampliorem effecit. Delectum Firmanorum militum auxit, ac ſtipendium, deſcribens homines ex qualibet domo, tam in Urbe, quam in Comitatu. Firm. Fragm. lib. 2. cap. 96. pag. 92.*

Perque domos ingens numerus ſtabulabat equorum;
    Laxavitque frequens ungula docta forum.
Invitæ dederant Marti ſua pignora matres,
    Nullo jure ſuos, & ſine lege viros.
Primi ierant in vincla Patres; pugilumque jacebat
    Conclamata omnis ſpes, patriæque ſalus.
Arſit Acetiades (*a*) ira, Sempronius arſit,
    Confuſumque acuit vulgus ad arma fremor.
Ultima nox ferrugineas expanderat umbras,
    Qua verſa ad ſummum publica vota Deum.
Audiit Urbanas Ægyptia (*b*) Virgo querelas;
    Nec mora: ſuccendens aera ab Æde tonat.

(a) *Antonius Aceti*, *Franciſcus Sempronii*, *aliique inprimis de familia Paccaronia*, *&* *Vinciorum in Tyrannum conjurarunt*. *Quippe inita conſpiratione*, *ut refert Joannes Simonetta de rebus geſtis Franciſci Sfortiæ*, *VI. Calend. Decembris* 1446. *Sfortianas cohortes per civium ædes jam antea diſtributas nocte intempeſta*, *ſumptis armis Firmani capiunt*. *Facius autem de rebus Regis Alphonſi apud Murat. Tom.* 21. *de Ital. Script. hæc addit*: *Conjectione facta ſpe propinqui auxilii*, *a Franciſco defecerunt*, *Alexandro fratre in arcem repulſo*, *quo & magna equitatus pars una cum eo ſe recepit*.

(b) *D. Catharinæ V.*, *&* *M. interceſſioni accepta refertur tyrannici jugi ab hac Urbe depulſio*. *Antiqua eſt popularis traditio*, *Joannis Pauli Montani coævi Chronico MS. confirmata*, *extrema tyrannidis nocte*, *miram ſane*, *ac longam luminum proceſſionem a ruſtica S. Andreæ ædicula ad ejuſdem Divæ tutelaris templum apparuiſſe*. *Id innuere videtur Antonius Nicolai Notarius his verbis* = *Hora ſecunda noctis populus Firmanus inſpiratione divina motus fecit novitatem con-*

Excubias, totumque videns pavor occupat agmen;
Se fame, & Alphonſo mænia Rege (*a*) premi.
Quid faceret? Superi, atque homines Firmana juvabant:
Sfortiades aurum pactus ab arce fugit (*b*).
Annua feſta dies decimi ſeptena Calendas
Menſis, Patronæ ferre tributa jubet.
Tunc antiquam (*c*) arcem, patrii miracula collis,
Servitii fontem diruit ira furens.

tra illuſtrem D. Comitem Franciſcum Sfortia, dicens vociferando: Viva la S. Chieſa, e la libertà =: *Subdit Simonetta:* = *Poſt eas voces, accenſis ignibus, de die in diem venerunt multi famuli de Comitatu, & Terris Marchiæ cum eorum vexillis in favorem populi Civitatis.*

(a) *Alphonſus Neapolis Rex cum magno exercitu Firmum paucis ante diebus acceſſerat, teſte eodem Antonio Nicolai; & populi tumultu cognito in favorem ſui, & Eccleſiæ diſceſſit, nec longe abierat. Sfortiani commeatus defecerant.*

(b) *Alexander Sfortia Girofalcum dimiſit; & Commune Firmi Sfortianæ anguſtiæ ignarum, eidem ſolvit ex pacto Florenos auri decem millia. Ita Anton. Nicolai, & Simonetta.*

(c) *Die Vigeſima ſexta Novembris an.* 1446. *aſſumptis armis Firmani Sfortiana præſidia per Urbem ejecerunt. Die vero vigeſima Februarii inſequentis an. facta fuit Communi Arcis libera deditio; & illico ejuſdem arcis demolitio ſequuta. Vide Firm. Fragm., Anton. Nicolai Chronic. & alios Scriptores apud Murator. Italic. Annal. ad eumdem annum. Ad excidendam porro arcem auxilium præbuerunt Elpidienſes; ut conſtat ex Cod. Conciliar. Reſolut. ipſius Oppidi.*

Tot populi quæſita quies, & reddita votis
    Humentes lachrymis tergere viſa genas.
Lætitiis incedebant per compita Cives;
    Clarius haud Titan fudit ab axe jubar.
At non fas populo in luſus, & in otia ſolvi;
    Curia poſt longum (*a*) tempus habenda fuit.
Hinc pia Relligio, veterum quæ movit avorum
    Corda, Quirinalis pacta, fidemque ligat.
Firmanæque Urbi Divi arriſere voventi;
    Inque ſuum excepit provida Roma ſinum.
Munere quo, firmum in populos, & in oppida regnum,
    Et ſtatuit dominam gentis (*b*), & eſſe caput.

Decreta

(a) *Ab an.* 1404. *ad a.* 1446. *Conſiliorum ac Cernitarum Codices in publico Priorali Archivio non extant. Veroſimile eſt temporum calamitate fuiſſe intermiſſa Concilia, & Cernitas. Videtur enim colligi poſſe a prima propoſita Conſilii an.* 1447. *celebrati, quæ ſic habet.* = *Primo, qualiter pro ſervanda forma Statutorum Menſe quolibet debet fieri Concilium generale, ubi reformari debet contra tyrannorum ſubjectionem, & pro populari libertate conſervanda. Deliberari igitur liceat, & conſulere omnia, quæ ſint contra tyrannorum pravitatem, & ad conſervationem popularis libertatis &c.* = *V. Codicem Conciliorum, cui titulus* Conſilia, & Cernitæ 1447. 1448. *pag.* 1.

(b) *Quamvis Firmani ſummo ſtudio Pontifices Romanos ſemper impenſe coluerint, numquam tamen clariora ſuæ voluntatis argumenta dederunt, quam ſub Eugenio IV. Innumeris enim popularibus turbis, ac Tyrannorum acerbitate defeſſi, ut quietem aliquam nanciſcerentur, ad Eccleſiæ portum confugerunt. Quo itaque jura, & imperium civitatis, & facultas Romanorum Pontificum fœdere, ac pactionibus tempera-*

Decreta ergo rudi ſolemnia munera (*a*) vulgo;
Et Vaticanæ dona tributa vici.
Ut primum antiquo rediit (*b*) Feronia vultu,
Inque diu inſtabilem pax Genialis agrum;
Fœdera finitimos inter, nodique ſequaces,
Et per conſultos jura tuenda patres.
Inſtauravit amicitiæ tunc Ricina ſignum,
Codice (*c*), veſtibulo, ſortilegaque ſera;
Ricina (*d*) materno quondam rediviva ſepulchro,
Quippe Potentinis mater humata vadis;

H

rentur, egerunt cum Card. Marchiæ Legato, qui Pontificis nomine Firmum venerat, ut forma Reipublicæ, & Civium auctoritas perpetuo ſub Romanæ Eccleſiæ cura, ac protectione permaneret. Pactiones hujuſmodi mutuo initæ, & in ſingulis partibus conventæ, atque approbatæ impreſſæ ſunt in libro Conventionum, ſtatutiſque præfixæ, quibus regiminis fundamenta, & Leges Municipii firmantur. Vide eumdem Conciliorum Codicem ſuperius citatum, & eruditam Cl. Viri Cæſaris Herioni diſſertationem, ubi de Bulla Eugeniana, Romæ impreſſam an. 1772.

(a) *In adventu Card. Legati publicæ lætitiæ ſignificationes, ludique decreti ſunt, eidemque dona publica auctoritate delata. V. Sup. cit. Concil. Codicem.*

(b) *Feronia Dea libertatis. V. Mythologos.*

(c) *Recinetenſis civitas Firmanæ amiciſſima, hujuſque Stemma in illius Prioralis Palatii fronte cum Epigraphe poſitum = Firmanæ amicitiæ monumentum = itemque in ærea Sitellæ clavicula. In pluribus ejus Conciliorum Codicibus, (Annales vocant) mentio fit honorifica Firmanorum, præcipue in medio Codice ſæculi XV.*

(d) *Recinetum originem duxit a Recina, de qua*

Digitized by Google

Filia jam Firmana, illi contermina terræ,
Quæ ſibi (a) ab Auguſto Principe nomen habet;
Adriaci inprimis regnatrix Inſula ponti,
Æmilia (b) adjuncta eſt, Felſina, Hetruſcus ager.
Nec minus Aufidena (c) fidem renovavit avitam;
Et ſi utrimque animos læſerat umbra doli;

Plin. l. 3. c. 13., poſita ad oram Potentiæ fl. 15. milliar. ab Adriatico mari, quatuor vero a Maceratenſi civitate. Recina porro, ſuppreſſo ejus Epiſcopatu, Firmani Epiſcopi miniſterio, & juriſdictioni ſubjacebat. V. Anonymi Scriptoris Confutationem Coſmopoli nuper impreſſam §. ultimo pag. 215., ejuſque documenta in Append. pag. 223.

(a) *Helvii Imperator. nomen adſcivit Macerata, quod e Recinæ ruderibus ſit adaucta, quæ Helvia Recina dicebatur ab eodem Imperatore reſtituta. V. Calcan. Recinetens. Hiſtoriam, Compagnon. Piceni Regiam, alioſque.*

(b) *Fœdera, & amicitias cum Firmanis iniiſſe Florentiam, Piſas, Bononiam, Ariminum, inprimiſque Venetias a XIII. inde ſæculo, conſtat ex pluribus pergamenis in Firm. Arch. exiſtentibus. Refert autem Andreas Dandolus lib. 17. c. 9. miſſos a Venetis fuiſſe Firmum Legatos duos, ut ipſis Firmani ſe favorabiles in bello Anconitano exhiberent.*

(c) *Aufidenam, quam prope Truentum fl. Ptolom. Antonini Itiner. ac cæteri ponunt, Ophidam, ſive Offidam aliqui putant, peramplum, & elegans Oppidum, Firmanis fuiſſe amiciſſimam, Scriptores, inprimiſque Adami Firm. Fragm., & Conciliorum Codices aperte teſtantur, ac præcipue an. 1448., quo nonnullæ utrimque ſimultates extinctæ penitus fuerunt, ac lege ſancitum, quicumque Firmanus Offidanos læſiſſet, patriæ hoſtem habitum iri.*

Digitized by Google

Proviſum eſt tabulis, iterum ſociante Senatu;
Et blandita redit pax, & amica quies.
Quin extincta Truentinæ certamina vallis (*a*),
Inque dies multo mitior ivit aqua.
Piceni ſenis arbitrio, cui paruit inter
Diſſidia, ac lites ipſe Aquilinus apex.
Indigetum nutrix, atque hoſpita, nunc age, tellus
Auxima, qua natu vix prior ulla plaga eſt (*b*);
Auxiliatricem bellis te experta, vademque
Pacis amicitiæ mutua ſigna dedit
Piceni Regina tui non immemor unquam;
Teque illi antiqua lege ligavit amor.
Poſt ubi Firmana expuleras virtute latronem,
Unde hæc exitium Curia juſſa pati.

(a) *S. Jacobi de Marchia Min. Obſerv. opera, atque auctoritate publica Aſculanos inter ac Firmanos ſtatuta fuit, & firmata concordia; itemque lis compoſita de finibus Montis Prandonum, & M. Aquilini. Ex Capitulis, ſententiiſque autographis ipſius S. Viri manu conſcriptis, quæ in Firm. Arch. aſſervantur.*

(b) *Auximi civitas in Piceno, quæ originis antiquitate pleriſque antecellit, Firmanis fuit amiciſſima, quorum ope Lippacium Tyrannum an.* 1322. *, teſte Villano, profligavit. Hujus rei cauſa indignati anno poſtero Gibellini Firmanam Curiam incenderunt, non ſine cæde multorum. Cæterum Auximates veteris in Firmanos amicitiæ ſigna paſſim prætulerunt; ſed potiſſimum in bello contra Aſculanos, qui in illos arma ſumpſerant pro Caſtro S. Petri Alleorum. Præſto enim Firmanis fuerunt; ut conſtat ex lib. Reformat. anni* 1534. *pag.* 167.; *& item pag.* 185. *fidejuſſerunt pro Firmanis de non offendendo Aſculanos.*

Digitized by Google

Quo levis excurrit mea Muſa, & nota recenſet?
    En gelido veniens horret ab axe fragor.
Impius heu condens materna in viſcera ferrum
    Sanguis (*a*) ab antiquo degener inſtat avo.
Quem Falera eduxit: Faleræ conterminus unda
    Semiſepulta ſolo rudera Tinna lavat.
Ille, ubi compoſitis tandem Germania rebus,
    Emeritum optanti reddidit Italiæ;
Forte Valentinas non æqua ad bella cohortes
    Egerat; inde redux patria tecta petit.
Jamque parabat amans venienti mater alumno
    Plaudere, jam ad Tinnæ læta præivit aquas:
Undique viſuræ properarunt ad vada Nymphæ;
    Atque urna ſedit verſicolore pater,

(a) *Oliverotus, ſeu Liverotus Firm. de nobiliſſima Eufredutiorum familia, quæ a Falerono Firm. ditionis oppido originem duxit, ex pervetuſtis ejuſdem Caſtri Codicibus, ac Pergamenis, militaverat in Germania Imperialis exercitus tribunus. Inde in Italiam, data ſibi facultate, reverſus, Cæſaris Borgiæ Valentini Ducis exercitui ſe conjunxit ad bellum contra Catharinam Sfortiam, quæ Urbibus Forolivienſi, & Cornelienſi ab eodem Duce ſpoliata, quod cenſum non ſolviſſet, Romam captiva deducta fuerat. Firmum digreſſus eſt, non animo quidem occupandi, ſed ut militari virtute abuteretur, civeſque percelleret. Cum enim ad Tinnam fluvium Civitati proximum perveniſſet, 400. ſtipatus equitibus, plurimique Cives, ac propinqui occurriſſent, ut ei gratularentur, omnes inopinato juſſit interfici. Urbem quaſi triumphans ingreſſus eſt; quotquot ei per vias obviam fierent ſalutatum, cæſi ſunt; atque ita perculſis omnibus, publicum Civitatis regimen ſibi arrogavit. Ita in Chronico authentico MS. Joannis Pauli Montani.*

Expectans pugilem; At, (nigræ ſpectacula ſcenæ!)
    Dum viri in amplexus obvia turma ruit,
Incidit in pejorem alium Scyrona tribulem:
    Fit cædes; gemitus, clamor, & ira fremit.
Perculſæ nemorum Dryades petiere latebras;
    Tinnaque ad hæc imo condit in amne caput.
Pergit iter, mora nulla, inter tot ſtragis acervos
    Ad portas turpi cum grege ductor ovans.
Quas non ille vias, & quæ non ſanguine tinxit
    Tecta, Thyeſteas nox parat atra dapes.
Præcipites acti (*a*) infantes, & ab ubere rapti;
    Atque Ixionia cæde cruenta domus.
Septaque ad extremam prætoria Marte plateam,
    Fruſtra & navales inchoat Æta ſinus.
Borgia ſed fati ignarum revocavit; eunti
    Occulta laqueum conſuit arte (*b*) Sena.

(a) *Occidi juſſit Liverotus inter cæteros Joannem Folianum avunculum, ejuſque filium, Raphaelem etiam de Robore, & infantes duos ejus filios, alterum e feneſtra præcipitem, alterum domi in ſinu matris, itemque inter cœnandum Petrum Leonardum Paccaronum, & Joannem Baptiſtam filium; ac præterea Gentilem de Nobilibus, Petrum Sanctem Sempronium, & Hieronymum Actiolinum. In Palatio Prætori conſtitutum præſidium collocavit, & portum ad Ætæ fl. oſtium moliri cæpit, quem perfeciſſet, niſi eum Borgia Senogalliam revocaſſet ſub finem Decembr. an.* 1502. *Chron. MS. Montani coævi.*

(b) *Clam defecerat Liverotus a Cæſare Borgia una cum ſociis; ſed ſpe veniæ ab eo obtinendæ Senogalliam venit accerſitus, & comiter ab eo exceptus eſt: In cubiculum vero colloquii cauſa ingreſſus, una cum ſuis collegis jugulatus fuit, die* 31. *Decembr. anno* 1502.

Advolat extincti Firmanas rumor ad arces,
Cumque ſua properat fratria prole (*a*) fugam.
Pubeſcens tuto Peruſinæ matris aſylo
Mas hæres Romam cura (*b*) Leonis adit.

(a) *Audita Firmi an.* 1503. *Liveroti morte, convulſa eſt tota Civitas; & clam per ſarcinam Thomæ Eufredutii filius parvulus Liveroti Nepos cum tribus ſororibus Peruſiam ad Matrem ex nobili familia de Oddis vix deductus eſt. Bona omnia Liveroti publico Urbis decreto proſcripta fuere. Ibid. & in Conciliorum Codicibus ejus temporis.*

(b) *Ludovicus Eufredutius Liveroti nepos Peruſiæ educatus eſt, atque inde jam adoleſcens inter bonorarios ephebos fuit Card. Medici, qui creatus poſtea Pontifex M., nomen Leo X., eumdem Firmum remiſit, bonis omnibus ſibi a patria reſtitutis, quæ paulo poſt fuere iterum proſcripta. Primo ipſo ingreſſu cives duos juſſit interfici; qua cæde plurimi fugerunt. Renunciatus eſt ab eodem Pontifice militum Præfectus contra Urbini Ducem; eo cum ſuis venit, optimeque rem geſſit. Firmum reverſus eſt: Urbini copias a Duce huc miſſas acerrime hinc ejecit; quare a Civitate donata ſunt ei pro expenſis Floren.* 1600. *Ejuſdem Ducis milites trecentos ad Claram Vallem profligavit. Equitum deinde Tribunus a Pontifice deſignatus, de die in diem militum numerum augebat. Ex his, aliiſque cauſis, cum nonnihil tyrannice agere videretur, ac potiſſimum ob necem Firmano Prætori illatam, in eum cives conſpirarunt, & fugientem armis inſequuti, dum Faleronum ſe reciperet, a militibus in via deprehenſus Brancadori, ac precipue Nicolai Bonafide Cluſini Epiſcopi, qui armorum Præfectus erat Urbini Ducis, interfectus eſt juvenis acer, & imprudens, &*

Digitized by Google

Hinc patriam redit, atque iterum damnanda coegit
Ad ſe, deleto jure, redire bona.
Adventuque duos perimit; ſugit inde; tribunus
Venit, & hoſtiles Urbe repellit equos.
Milite collecto, prætorem obtruncat; ad arma
Curritur; at Faleram dum fugit, hoſtis adeſt.
Quo periit pereunte domus, ſuſſumque cadaver
Horret humus; funus turpe platea videt.
Orba parens flevit; cari flevere propinqui:
Mœret adhuc nigris nobilis urna notis.
Poſt ternam enneaden fugere ea monſtra ſub umbras;
Nec nube ille ater, nec ſine Sole dies.
Jamque diu extorrem revehit concordia pacem
Duratura; trahunt aurea fila Deæ.
Decernenda Quirinalis (*a*) de ſanguine menti
Prætorum ſeries, queis data lora, ſubit.

Familiæ noviſſimus. Ejus cadaver octo dies in Firmana platea jacuit inbumatum. Extat in Eccl. D. Franciſci monumentum, Jacobi Sanſovini opus cum hoc Epitaphio: D. O. M.

Illmūm D. Ludovicūm utraque familia generoſum, materna de Odis, paterna de Eufredutiis, Armorum Præfectum, Virum Equeſtrem de Civitate benemeritum Mater hic pientiſſima, & ſui magno cum luctu poſuerunt. M. DXXVII. ¤ *Ex cit. Chron. Montani, & Vita MS. Epiſcopi Bonafide.*

(a) *Ut Reipubl. bono Firmani conſulerent, S. C. proviſum eſt, ut Pontificum nepotes rectores inpoſterum deſignarentur per publicum Concilium eligendi juxta ſtatutorum Rubr. Julius III. P. M. adprobavit, & Comitem Joannem Baptiſtam de Monte S. Sabini nepotem obtulit, ut ex Bulla data* 20. *Julii a.* 1550. *Hujuſmodi honorifica deſignatio* 125. *annorum intervallo viguit uſque ad Innocentium XI.*

Aſſenſere Patres, plauſitque ager omnis honori;
    Solvendi huic æris noxia turba rea eſt.
Chriſtiadum Pater orantis rata vota Senatus
    Audiit; hoc regni tempus adepta Themis.
Juſtitiæ, Legumque illo felicius ævum
    Non fuit; huc veniens advena fonte bibit.
Jungebantur ad hæc poſitæ ſubſellia lites,
    Herctaque ab invitis non abiere bona.
Digeſto codex innotuit indice rerum (*a*),
    Et tua ſcripta legens Baldus, Acete (*b*), probat.
Atque hic, me pigeat quamvis divertere mentem
    Ad reliquos, quorum prægravat unda caput;
Delectos meminiſſe libet, Sabionia (*c*) condam
    Nomina, dignaque item (*d*) Lælia honore pari.
Ipſa

(a) *Joannes Bertachinus excellens JCtūs, in Capitol. Collateralis, & Conſiſtorialis Advocat. doctiſſimum Legum Repertorium in lucem dedit, quod Legales Codices indice carerent, cui titul.* Lucerna Juris. *Edidit etiam Tom. duos de Epiſcopis, & Gabell. Sepultus fuit in D. Dominici Templo.*

(b) *Antonius Aceti Baldo coævus, & amicus, plures Epiſtolas in vetus Digeſt. edidit, ut refert Cl. Vir Joannes Fraciſcus Abb. Lancellotti de Staphylo in ſua* Picena Bibliotheca *MS. Vide Adnotationes Salatianas Romæ editas an.* 1777. *pag.* 45.

(c) *Franciſcus Sabbioni, primum in patrio Lycæo adhuc juvenis publicus Legum interpres; Romæ deinde non infimæ notæ Advocatus, ingenii perſpicacia, ſtudiorumque ſimilitudine Cardinali de Luca cariſſimus. Fuit JCtūs adeo celebris, ut in Romana Curia haberet centum prope Cauſidicos, quos in patria erudierat, & ad Juris magiſteria promoverat. Pluribus recuſatis Epiſcopatibus, Romæ obiit, Alexandri VII. tempore, dum*

Digitized by Google

Ipſa decem (*a*), innumeros inter, demonſtrat alumnos,
Quos etiam ad laudes extulit, alma Themis.

I

ibi lues graſſaretur. Ex Diplom. & Familiæ MS. Joannes Antonius ejuſdem frater natu minor Romæ Jus civile profeſſus eſt, & paulo poſt præter opinionem Tolentini obiit in itinere ad patriam. Card. Barbarini juſſu præfuit fodiendis SS. MM. ſepulchris, & ea, qua pollebat, eruditione, e ſignis, quæ reperiebantur, diverſa Martyriorum genera eloquenti ſcripto, ac ſubtili indagine declaravit. Quæ ingenii monumenta adhuc extant apud ejus hæredes.

(d) *Antonius Lælii J. U. D. & Protonotarius Apoſtolicus typis edidit Romæ an.* 1641. *Obſervat. ad Tractat. de Indiarum jure Joannis de Solorzano Pereira. Aliud opuſculum in lucem dedit ſuperiori adnexum, poſt pag.* 89., *cujus titulus eſt, Matriten. pro R. C., & Fiſco A., contra Cameram, & Fiſcum Regium, & ei adhærentes Eccleſiam Chyli, Teſtamentarios, & Donatarios &c. Facti, & Juris.*

(a) 1. *Joſeph Bertachinus Joannis frater, picta cujus imago in Priorali Palatio.* 2. *Cæſar Ottinellus, cujus Opuſculum Romæ impreſſum quinquepartitum.* 3. *Antonius Senegardus Romæ coram Pontifice Paulo III. Cardinalibus, & Conſiſtorialibus Judicibus, ac præcipue Lutio Francolini in utroque Jure rigide examinatus eſt. & doctoralem Lauream adeptus; ut conſtat ex Card. de Carpo Diplom.* 4. *Vincentius Baccili, qui eodem tempore Juris prudentiæ operam dedit Firmi, Maceratæ, Peruſiæ, & Bononiæ, Vir morum præſtantia, ingenii acumine, & omnium ſcientiarum doctrina clariſſimus. Ex ejus Diplom.* 5. *Pompejus Azzolini, qui ſub Julio III. Epitomen de Terminis, & agrorum finibus in lucem edidit, eidem Pontifici di-*

Digitized by Google

Antéit ille (*a*) ævo tamen, & meliore metallo;
Quo, ſe Parthenope judice paſſa regi.
Quæ plaga ſed juris, legumque peritior, unde
Aſtıææ vindex mitra petita fuit?
Aprutina (*b*), Nucerenſis (*c*), Teleſina (*d*), Metauro
Proxima (*e*), & Illyricis juncta (*f*), iterumque Syra (*g*).

catam, & iterum Firmi impreſſit an. 1556. 6. *Ludovicus Falconi J. U. D. inſignis, cujus in Ferrarienſi Rota Auditoris ſit mentio in Deciſionibus ejuſdem Rotæ.* 7. *Joannes Baptiſta Monti Neapolitanæ Curiæ Judex. Ex ejus familiæ authenticis documentis.* 8. *Stephanus Ricciardi J. U. D. eximius, qui Viterbii, & Ferrariæ fuit Auditor, memoriæ vi ſingulari uſque ad extremam ſenectutem.* 9. *Petrus Vincentius Morici publ. Ordinar. Civilis Maceratæ Lector.* 10. *Denique Laurentius Rota J. U. ibidem Lector primarius.*

(a) *Montanus de Montana familia, ſub Carolo V. Magnæ Vicariæ Neapolit. Judex, & Pro-Rex. V. ejuſdem in Eccl. Auguſtinienſium Firmi Epitaphium, & penes familiam Diplomata.*

(b) *Julius Riccius J. U. D. eximius ſub Syxto V. in Urbe Viceſgerens, Vir, ut ait Ughell., vitæ venerabilis, & omni ſcientiarum genere eruditus. Maranenſis primo, deinde Gravinenſis fuit Epiſcopus, poſtremo Aprutinus, unde ab eodem Pontifice Romam accerſitus, ibique deceſſit an.* 1592. *Joſeph item Spinucius, Civilis primum Juris in patria Profeſſor, plurimis deinde defunctus gubernıis & Card. Aquavivæ Auditor, denique a Clemente X. Pinnenſis, & Adrianus Epiſcopus eſt creatus. Epiſcopales ædes amplificavit, perpetuum ſuo ære cenſum inſtituit, unde egenis ægrotantibus ibi ſubſidia erogarentur. In Terra Laure-*

Digitized by Google

Hetruſca (*a*), atque illi propior (*b*), Picenaque tandem
Non una, & noſtris proxima litoribus (*c*).

I 2

ti Monialium excitavit, dotavitque Cœnobium. Deceſſit an. 1695., *atque in Cathedrali Eccl. omnium mœrore ſepultus eſt. Ughell.*

(c) *Sulpicius Conſtantini J. U. D. ſub Syxto V. Epiſcopus Nuceriæ Paganorum in Campania, ſive in Picentinis electus eſt an.* 1585. *Epiſcopium abſolvit. Vulpiani fuit frater, unius ex Fundatoribus Oratorii; cui D. ipſe Philippus Nerius a confeſſionibus, & conſiliis fuit. Joſpeh alter ejus frater Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolit. integerrimus Judex. V. eumdem Ughell.*

(d) *Eugenius Savinus J. U. D. inſignis, Epiſcopus Teleſienſis in Campania a Clemente VIII. electus, doctrina, & prudentia ab omnibus ſummopere laudatus, vita exceſſit Neapoli, ibique ſepultus. Ughell.*

(e) *Julius Ottinellus J. U. D. excellens, cujus meminit in Epiſtolis Cæſar ejus frater, Caſtri in Regno Neapolitano juxta Hydruntum Epiſcopus, cum apud Sabaudiæ Ducem legatione fungeretur, Fanum Fortunæ translatus eſt, ibique deceſſit anno* 1603. *Ughell.*

(f) *Hieronymus Matthæucius Raguſinus Epiſcopus, de quo ſupra.*

(g) *Fr. Franciſcus Spera de Princivallis Ord. Minor. Conventualium Sacrorum Canonum peritiſſimus a Syxto V., cui fuerat apprime carus, Narazenus Archiepiſcopus jam ſenex creatus eſt. Vix Archiepiſcopatus poſſeſſionem adeptus, ibidem obiit, ibique ſepultus eſt. Extat in Eccleſia ſui ordinis Firmi ænea ejuſdem imago, & inſcriptio. Item Hierapolis in Syria Epiſcopus fuit Fr. Joannes Baptiſta Ord. Prædicator., de quo infra.*

(a) *Nicolaus Bonafide Cluſinus Epiſcopus, de quo ſupra.*

Digitized by Google

(b) *Stephanus Ricciardi*, *Card. Decii Azzolini affinis*, *J. U. D. clariſſimus*, *Metropolitanæ Eccleſiæ Firm. jam Canonicus*, *deinde Capitolinæ Curiæ ſecundus Collateralis*, *ad Nepeſinum*, *ac Sutrinum Epiſcopatum die* 1. *Septembr.* 1681. *promotus eſt ætate ſexagenarius*, *quas dum ſpectata laude Eccleſias regeret*, *quadriennio poſt e vivis deceſſit*. *Vide Ughellium*.

Carolus item Azzolini creatus eſt Epiſcopus Balneoregienſis ab Innoc. X.; *ſed poſt tres annos onere ſe exolvit*. *Hujus elogium in Conſecratione S. Thomæ a Villanova legitur*, *quæ inſcribitur ſeries actorum omnium in ejuſdem Sancti Canonizatione pag.* 100. *apud Mandoſium*. *Vide Ughell.*

(c) 1. *Philippus Monti Neapolitanæ Nunciaturæ Generalis Auditor*, *poſt arduas quinquennii curas Aprutinus Epiſcopus renunciatus eſt*, *omnibus carus*; & *inde Aſculanus*, *ubi permoleſta in eum exorta vexatione deceſſit Natalis Domini Pervigilio*. *V. Ughell.*

2. *Hyacinthus item Cordella Juris prudentiam*, *cui ſedulam Mediolani operam dedit*, *ibique Doctor inauguratus*, *in patria profeſſus eſt*. *A Joanne Baptiſta Rinuccini Firm. Archiep. ad Miſſiones Hiberniæ invitatus*, *recuſavit*. *Taurinenſis Nunciaturæ fuit a ſecretis*; *Maſſerani Præfecturam pro Pontifice adminiſtravit*, & *populi a Principe abalienati diſſidia compoſuit*. *Pontificis etiam juſſu Sabaudiæ*, & *Genuæ diſcrimina conciliavit*; *ab ipſo Sabaudiæ Duce ea de cauſa Benavalli Comitatum*, & *a Pontifice Venafri Epiſcopatum obtinuit*, *quem* 32. *annos ſanctiſſime rexit*, *indeque ad Recinetenſem*, & *Lauretanum translatus eſt*; *recuſata Legatione ad Helvetios*, & *Urbini Epiſcopatu*, *ob inhærentem in Lauretanam Deiparam pietatem*. *V. Calcanei Recinet. Hiſtor.*, *ubi de Recinetenſibus Epiſcop. Meſſanæ impreſſ.*, & *Ughell.*

Queis addenda Tuders (*a*), & non ingloria Tinnæ;
  Tinna ſibi e noſtro ſanguine jactat avos.
Actioliniadum (*b*) viola ter palluit, oſtro
  Sed quater erubuit ſyrma, negante colo.

3. *Franciſcus Azzolini J. U. D., Abbas Mitratus Campoſullonis, Metropol. Eccl. Firmanæ Primicerius, ac deinde S. Mariæ Trans Tyberim in Urbe Canonicus, Cuprenſi, ſeu Ripana Mitra ornatus eſt a.* 1694. *eodemque anno deceſſit. V. Ughell.*

4. *Dominicus Spinucci, de quo ſupra, atque infra, Metropol. primum Eccl. Canonicus, deinde Archidiaconus; Targenſis paulo poſt in partibus Epiſcopus, atq. Urbani Card. Paracciani Auditor; ad Maceratenſem, ac Tolentin. Cathedram a.* 1777. *glorioſe translatus eſt.*

(a) *Bartholomæus de Alaleonibus Angeli fil., origine, ac domicilio Firmanus, licet illuſtris ejus familia e Monte S. Mariæ in Georgio Maceratam commigraverit, Abbas fuit S. Petroniani extra muros Firmanæ Civitatis, Ordinis S. Benedicti, poſtea Tudertinus Epiſcopus mira in pauperes pietate, ac zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cujus extat in Cathedrali Eccleſia Tuderti Epitaphium: = D. O. M. Bartholomæo Alaleoni Firm., Epiſcopo Tudert., Viro opt. ſummæque doctrinæ, ac Religionis. Qui cum ſediſſet a.* 36. *obiit Prid. Non. Jan. M.CCCC. LXXII. Angelus Ceſius Ep. Tudert. ſepulchrum inſtauravit, & exornavit M. DLXXXVIII.*

Item Felix Aloyſius de Rubeis ejuſdem tribulis, & Civis Firm. Interamniæ Epiſcopus, mihi, omnibuſque carus hac noſtra floret tempeſtate.

(b) *De Actiolinorum familia Epiſcopi tres numerantur, quatuor autem S. R. E. Cardinales. Carolus nempe, & Franciſcus, de quibus ſupra, Laurentius,*

Digitized by Google

Purpurea hæc ætas redeat, totidemque tribules
Ante meos obitus induat ipſa (*a*) Tyros.
Quorum unum (*b*) implexæ Picena per oppida curæ,
Chriſtiadum exercet pro Patre Roma (*c*) duos;

de quo etiam ſupra, Nepos prioris Decii Card. Ripanus Epiſcopus ab Urbano VIII. declaratus eſt, ac deinde ad Narnienſem Eccleſiam translatus, pauloque poſt, cum illi videretur arridere fortuna, morte Romæ ſublatus eſt, ſervatus in pectore Cardinalis. Cujus vitam brevi, ſed erudito elogio ſcripſit Janus Nicius Erythræus in ſua illuſtrium virorum Pinacotheca. Vide Ughell. Hieronymus item, & Decii duo S. R. E. Cardinales, quorum primus ab Eugenio IV., alter a Sixto V., tertius a Clemente X. ad ſacram Purpuram ſunt promoti. Decii quidem ſenioris in Baſilica S. Mariæ Majoris, cujus fuerat Archipresbyter, duplex eſt Epitaphium: = D. O. M. Decio Azzolino Firmano, S. R. E. Cardinali, qui fidem, & integritatem ſuam Syxto V. Pontif. Max. in Cardinalatu primum, deinde in Pontificatu præbuit, ut anni ſpatio ad ſummas dignitates merito ejus ſit evectus, majus in diem probitatis ſuæ daturus ſpecimen, niſi immatura morte præreptus in medio vitæ curſu defeciſſet, & toto fere Orbe defletus = Vide Ciacconium in vita Syxti V. pag. 1247. Decius denique junior fuit a ſecretis, tempore Clementis X., & a Chriſtina Svecorum Regina relictus hæres.

(a) *Purpura; Tyrii enim purpureas veſtes apprime tingebant.*

(b) *Dominicus Spinucci, de quo ſupra, vacante Sede Recinet., & Lauretan., ejuſdem Epiſcopatus Apoſtolicus Vicar. a Pio VI. an.* 1787. *deſignatus eſt.*

(c) *Carolus Andreas Pelagallo, & Franciſcus Xa-*

Digitized by Google

Illum adeo, quem perſunctum (*a*) regione Sabina,
Finitima hinc Umbris arce, Camertiadis,
Et ſibi adeſſe Quirinalis, rebuſque gerendis
Juſſit, & inde illi credidit Helvetios.
Scilicet ad tantos aditum patefecit honores,
Et ſupera titulos (*b*) auxit in Æde Themis.
O meritis, ævoque potens domus, æmula Cœli;
Voſque o divini membra miniſterii;
Non mea, ſi voces centeno in carmina ſolvam
Ore, æquent totidem vocibus ora locum.
Semper enim e collo torques aurata pependit;
Cinxit honoratas inſula ſæpe comas.

verius Paſſari, Prælati ambo Palatini. Ille Contradictarum primo Auditor, ac deinde in ſtatuendis Pontificiæ ditionis, & magni Etruriæ Ducatus finibus non brevi tempore Commiſſarius, poſtea Boni Regiminis, mox Conſultationis Ponens, Gubernii Aſſeſſor, & Signaturæ Auditor. Hic Signat. Referendarius, Immunitatis, Fabricæ, & Controvers. Jurisdict. Ponens, Almæ Urbis Vicarii Locumtenens, & nunc Viceſgerens, ac ſupremæ Inquiſitionis Conſultor, Metropol. Eccl. Lariſſenſis in partibus denique Archiepiſcopus.

(a) *Joseph Vincius Reat. primum, Fabrianenſi deinde, & mox Camerinenſi Prefectura cum laude adminiſtrata, diverſisque piis Operibus Pontificis juſſu feliciter abſolutis, Beryten. in partibus Archiepiſcopus, tandem reſignatus Nuncius Apoſtolicus miſſus eſt ad Helvetios, ibique Cl. Viri Franciſci Guerrerii Auditoris ſui opera utitur.*

(b) *Dignitates, & Canonici Metropol. Eccl. Firmanæ; de quibus infra. Majoris autem Eccleſiæ hujus antiquitas ex Bulla Sixti V., de qua ſuo loco, a quinto ſeculo ducitur.*

Digitized by Google

Priſca ſilenda ætas, veteris cum plura Senatus
Compertum cæca nomina nocte premi.
Sed non pauca refulſerunt, labentibus annis,
Lumina, quæ nebulis eſſe adoperta piget.
Ipſa ſuam oſtentet Minoja Virgo (*a*) Coronam;
Splendidius multo veſtra corona nitet.
Veſter adeſt Libertus (*b*); ei delata tiara eſt,
Jam ſatis antiquæ cui pietatis erat.
Teſtes difficili pro rerum ætate labores,
Caſtra, & Palmenſi condita templa ſolo.
Balignanus (*c*) adeſt: nocuit nil Cæſaris illi
Pagina, & inducta decolor una manu.

Altera

(a) *Per Coronam Ariadnes inter ſidera relatam, novem ſtellis ornatam, totidem Metropol. Eccl. mox commemorandi Canonici intelliguntur.*

(b) *Libertum, ſeu Lybertum (ſic enim in antiquo Lapide, quem ſubjicimus) Cathedralis Eccleſiæ Canonici ſuum fortaſſe Collegam, Firm. Epiſcopum elegerunt; quorum eo tempore jus hoc erat, ſicuti nunc in Capitulari ſolo erecta ſacerdotia conferendi. Præclare ab eo geſta commemorant Firm. Fragm., Ughell., & Can. Catalani. Addo ab eo fundatam, quod Epiſcopale jus eſt, majorem Eccleſiam in Caſtro Turris Palmarum Firm. Capitulo adhuc ſubjectam. Ex hoc Lapide, ad parietem Eccleſiæ ipſi contiguum, ignoto hactenus: = Ec Eccleſia fundata eſt a Donno Lyberto Preſulo in honorem Apoſtolorum Petri, & Pauli, anno Domini noſtri Jeſu Chriſti* 1132. *in die Sabbati.* =

(c) *Balignanus, Giberti frater, Firm. Cathedr. Eccl. primo Archidiaconus, deinde Epiſcopus, falſo creditur deſciviſſe a Rom. Pontifice, cum nulla inter innumeras Prioralis, Capitularis, & Archiepiſcopalis Archivii pergamenas ejus labis infectum illum fuiſſe*

Digitized by Google

Altera adhuc membrana, remoto obſcura (*a*) Tridento,
Urget, ab evictis ſemicremata rogis.

K

oſtendat; & a Gregorio IX. in Brevi, quod exiſtit in Priorali Elpidienſi Archiv., laudetur bonorum omnium Monaſterio S. Crucis de Clento a Firmanis Epiſcopis, ac præcipue a Balignano facta conceſſio. Nihil porro videtur obſtare a Friderico Imperat. Caſtrum Murri Vallis ipſi Epiſcopo adjudicatum contra Comitem Guarnerium; quia ad eumdem, uti ad Dominum, eo tempore confugere cogebatur, ad Eccleſiæ ſuæ jura tuenda. In Priorali Regeſto, cui titulus, Firmum 1030., *quod Alexandri Borgia Firm. Archiep. juſſu tranſcripſi, & nomen habet* Jura Epiſcopatus, *aliud reperitur ejuſdem Imperatoris Diploma, nonnihil fædatum, non ita tamen, ut legi non poſſit, quo a Friderico ipſo donantur Caſtra S. Proculi, & S. Mari Hugoni cuidam Rufo Comiti, & Imperialis Aulæ Judici. Quam quidem donationem alia membrana ſemiuſta confirmat, cujus exemplum publica Notarii auctoritate tranſcriptum, ſic habet: Quæ quidem domus, & Vinea ſunt de juribus dotalibus dictæ Dominæ Margaritæ, ultimis dictorum Conjugibus remanentibus in Civitate, propter maximas expenſas factas illis temporibus calamitoſis, cupientes dicti conjuges reducere ſeſe cum Rufino filio in Caſtrum Collinæ, ubi ortum, & dominationem olim habuerunt, per donationem factam locorum S. Proculi, & S. Mari a Friderico I. Imperatore, Rufo atavo Imperialis Aulæ Judici, ut conſtat de prædicata donatione in Archivio Firmano &c. = Sequitur legalitas in forma publica.*

(a) *Anonymus Scriptor Tridentinus nuper in Vita S. Adelberti Epiſcopi Tridentini, ſuperiores membranas duas ſuppoſititias temere putat, & a Minorita quodam*

Tum Girardus (*a*); at in tantum mendacia nomen
Priſca ſilens ætas, & benefacta negant.
Gentilis (*b*) frater, cui mitram e ſegrege fluctu
Roma recuſanti maluit æqua dari.

Firmi olim degente deceptus, Firm. carpit Archivium, ubi pecudinæ tria millia, & innumeræ e lino ſervantur ſæcul. XIV. XV., & XVI.

(a) *Girardus de Maſſa Guillelmi ejus Caſtri tunc domini frater, & Firm. Eccleſiæ Decanus, ac poſtea Epiſcopus a Canonicis deſignatus, Eccleſiæ ſuæ jura reſtituit, quæ ſub Friderico Imp. gravia damna pertulerant. Ripanos ad officium redire coegit: In Religioſos Viros, ac Moniales munificus fuit. A Romanis Pontificibus ſummo honore eſt habitus. Apud Urbanum IV. P. M. proditionis, & impudicitiæ crimine accuſatus, a calumniis ſe purgavit. Utriuſque labis nulla ſit mentio apud veteres Scriptores, neque in Regeſto inter plura tanti viri monumenta.*

(b) *Franciſcus de Molleano Gentilis frater, de quo in Chron. Antonii Nicolai ad calcem, Firm. Eccleſiæ Canonicus, fuit unus ex Apoſtolicis Romæ Cappellanis. Diſſentientes inter ſe Cathedralis Eccleſiæ Canonici, poſt Epiſcopi Alberici obitum, hunc, & alios duos in defuncti locum elegerant. Hunc vero honorem Franciſcus virtutis, paciſque ſtudioſiſſimus recuſavit. Reliqui duo paulo poſt ex hac vita migrarunt. Franciſcum autem deſignavit Joannes XXII. P. M., cujus doctrinam, religionem, ac merita optime noverat. Nullum de tanto viro ſupereſt monumentum. Refert Adam. Firm. Fragm. lib. 1. c. 15., ætate ſua fuiſſe in majori Eccleſia ad Altare D. Joſepho tunc dicatum, marmoreum lapidem, quo illud Epiſcopi dicebatur.*

Addite præteriti ſeriem, præſentis & ævi,
    Quorum adeo Urbanus luce coruſcat apex;
Myſtarum capita inprimis, ſocioſque miniſtros,
    Dignos a tota poſteritate legi.
Sylvius (*a*) occurrat Xyſti vice functus; honorem
    Nempe inſtauravit maxima in Æde prior.
Quinque venenatæ ſucco ad convivia mappæ
    Inſcius (*b*) extremam vidit adeſſe diem.
Illum autem (*c*), Hibernæ cui ſternebantur arenæ,
    Nonniſi Mæonium carmen ad aſtra vehat.

K 2

(a) *Sylvius Sciarra Metropolit. E. Primicerius a Syxto V. P. M. declaratus eſt, vetere hac dignitate ab eodem Pontif. reſtituta, cujus fuerat Generalis in ſpiritualibus Vicarius, quamdiu Pontifex Firm. fuit Epiſcopus.*

(b) *Hyacintus Gratiani Firm. Eccl. Archidiaconus, tranſlata in fratris filium dignitate, Alfonſi Card. Litta Mediolanenſis Archiep. Generalis fuit in ſpiritualibus Vicarius, eique inter turbas a Regiis Miniſtris excitatas præſto affuit. De qua re v. Ughell. In eadem civitate obiit, propinato ſibi ad menſam veneno. Ex familiæ document.*

(c) *Dionyſius Maſſari e Monte Rubeano oriundus, & Metropolit. Eccl. Decanus, eam dignitatem Franciſco Spaccaſaſſio Sororis filio reſignans, in Hiberniam Inſulam cum Archiep. Firm. Joanne Baptiſta Rinuccinio Auditor profectus eſt. Apoſtolicæ hujus Legationis initia ſatis proſpera; opera tamen Thomæ Præſtoni perfidi Ducis, profligata ſunt omnia; Archiepiſcopus, cum ab Hæreticis ad necem quæreretur, clam proripuit, & paratam ſibi navim conſcendens, Gallias petiit, inde Romam, poſtremo Firmum. Dionyſius tamen cum declinare, & ſibi fuga conſulere non poſſet, comprehen-*

Digitized by Google

Alterum Atlantiaden ſuſpenſi habuere Britanni;
Viſaque ad ingreſſus insula pace frui.
Omnia convulſit molimina perfidus hoſtis;
Inſidias inter transfuga Præſul abit.
At curæ ſocium retinent pro Antiſtite vincla;
His tamen Italiæ liber ad arva redit.
Jam tria, quæ e reliquis lucent, quo carmine dicam?
An prope Phæbæis aſſimilanda rotis?
Palladii (a) Laris hinc pubi fundamina poni
Vidimus, & ſapiens ad Themin agmen agi;

ſus fuit, & cuſtodiæ datus. Rebus denique cum Fiſco Regio compoſitis, nonniſi ope divina a vinculis liber, Romam venit, atque a ſacra Congreg. de propaganda Fide a ſecretis renunciatus, ſeptennio poſt quietis, ac pacis deſiderio Firmum regreſſus eſt; ac tandem Oratorii Congregationem in patria ingreſſus, ibi e vita deceſſit an. 1669. Satis pingue de jure patronatus Familiæ Spaccaſaſſiæ, & Conradiæ inſtituit in Eccl. S. Philippi Sacerdotium. Vide Battaglini Annal. Sacerdotii, & Imperii ab anno 1645. ad ann. 1649.

(a) *Can. Cenſorius Martiali, ut alibi diximus, Martiale Collegium ære ſuo, ac bonis erexit, pro adoleſcentibus nobili genere natis tum advenis, tum tribulibus, ubi in Philoſophia potiſſimum, ac Juriſprudentia ſub certis Præceptoribus docerentur. Can. vero Philippus Raccamadori vetus ædificium pene totum, ac fatiſcens ab integro inſtauravit, & in meliorem formam redegit. Cui diverſis temporibus cum laude præfuerunt in primis Joſeph Baccili Metrop. Eccleſiæ Decanus, Curtius Pacini Theologus, qui adeo felici memoria valuit, ut ſacros omnes Scriptores, ipſumque Bibliorum volumen apprime calleret, ac recitaret etiam in extrema ſenectute, aliique.*

Hinc Myſtas (*a*) ad ſacra Dei, cultumque probari,
Doctrina augeri rem, gravitate, fide.
Anne opus hoc tentare mihi, ſi adleverit umbra
Vel tenui tabulæ dextera Coa, licet?
Anne tot heroum titulos, inſignia (*b*), jura,
Muneraque in triplices rite dirempta gradus?

(a) *Hippolitus Gratiani Archidiaconus doctrina, ac pietate conſpicuus, in maxime arduis, ac difficillimis negotiis pro ſancta Sede Rom. Ordinarii juſſu feliciter abſolutis verſatus eſt. Luculentiſſimum ejus Elogium habes in Homil. 35. Alexandri Borgia Archiep. pag. 479. To. 3. Nicolaus Calvuccius Primicerius, Archiep. Curiæ Auditor, & Judex, lectiſſimam juventutem undique ad eum confluentem in Legalibus diſciplinis privatim erudiens, domi ſuæ quamdam veluti Academiam nocturno tempore inſtituit, unde plurimi J. U. D. inſignes prodierunt. Fabricius Francolinius Metropol. Can., & Capitularis Vicarius, ac cæteri plures, quos ne longiores ſimus, omittimus, cum his, quos nominavimus, doctrina, ſapientia, ac pietate comparandi. Recentiores autem, qui adhuc vivunt, ut eorum modeſtiæ conſulamus, inviti ſilemus; Illud ſane exoptamus, & fore confidimus, ut venturi olim poetæ, rem, tempuſque nacti, eos præcipue commendandos ſuſcipiant, qui publicis officiis, ac muneribus non minus Firmanæ Eccleſiæ, quam ſcriptis in lucem editis Literariæ Reip. profuerunt.*

(b) *Canonicorum Collegium trifariam dividitur; in Dignitates nempe quatuor, & Canonicos duodecim, in Præbendatos, ut vocant, primæ inſtitutionis ſex, quorum unus Ceræmoniarum eſt ex officio Magiſter, ac recentis duos; in Beneficiatos, ſeu Manſionarios quatuor, ac duos præterea Chorales Clericos. Plurima*

Digitized by Google

Tollere jam, dilecta Deo, almæque Sionis
Filia, nil ævo, quod tibi certet, habes.
Nunc domina invitus decedere cogor ab aula,
Et laxare alio grandia vela rati.
Quam multi me compellant divina locuti,
Atratique apices, verſicolorque (*a*) toga.

ſunt ejuſdem jura, ſeu privilegia; Præbendatos, Beneficiatos, & Clericos, necnon Muſicorum Cappellam, ejuſque magiſtrum unum, vel duos eligendi; quamplures Eccleſias etiam Parochiales in Capitulari ſolo erectas viſitandi; & ſimplicia, ac Parochialia in eodem ſolo inſtituta non ſane pauca ſacerdotia conferendi.

(a) *Plurimi ex variis Religioſis Ordinibus extiterunt Sacræ Theologiæ Magiſtri, ac publici Profeſſores, Firmani omnes. Ex his primum locum habere debet Fr. Thomas, quem de familia volunt Paccaronia, electus an.* 1401. *in Capitulo Generali Utini totius Ord. Prædicatorum Generalis Magiſter XXIV.* =. *Vir fuit ſummæ prudentiæ, & in Regulari obſervantia enutritus. Moderatus eſt Ordinem annis* 13. *Multa præterea privilegia a Bonifacio Papa IX. Ordini obtinuit. Abſoluto denique Januæ Capitulo, ibidem perpetuo quievit, an.* 1413. *fluctuante adhuc Eccleſia* =. *Ex Chron. General. PP. Ord. Præd. cap.* 13. *pag.* 64. *Firmano Cœnobio Bibliothecam reliquit.*

2. *Joannes Baptiſta, ejuſdem Ord. Prædicat., quem de familia ferunt Antonuctia famil. de Portis affine, & Hieropol. in Phrygia Epiſcopus, Legatus miſſus eſt ad Imperat. Sigiſmundum, alioſque Principes, ut Conſtantiæ Concilium haberetur. Huic, & Baſileenſi, necnon Florentino interfuit. In Bohemia contra Hæreticos diſputavit; eo miſſus a Dominico Card. Capranica; cujus etiam ſuffraganeus fuit Epiſcopus. In*

Digitized by Google

Eccleſia ſui Ord. ſcamnis Choralibus excitatis, atque ara, & Cappella D. Vincentii ornatius Firmi reſtituta, deceſſit. V. Famil. documenta, Joannem Panellium in Hiatr. Hiſtor. To. 2. pag. 233., & Append. pag. 7. denique Can. Catalani in Vita Card. Capran. pag. 251.

3. *Joannes Carolus Falconius, ſacræ Theol. Doctor, ac profeſſor, Ordinis item Prædicatorum, omni commendatione digniſſimus, Parmæ contra Hæreticam pravitatem Generalis Inquiſitor, Curiæ, atque omnibus fuit acceptiſſimus, ad reliquos honores progredi non potuit, oculorum ſuffuſione correptus. Argenteam ſupellectilem ſane copioſam Parmenſi Cœnobio reliquit; Firmano vero argenteam quoque magnæ molis Lampadem, & ſphæricam Pyxidem, vulgo Oſtenſorium, familiæ ſuæ appoſito nomine.*

4. *Addendi ſunt ejuſdem Ordinis doctiſſimi Viri tres, qui noſtra ætate ſingulari Theologiæ laude floruerunt, Vincentius nempe Moricius ob eam doctrinam Benedicto XIII. apprime carus: Thomas de Benedictis in Archiep. Seminario publicus Bibliorum interpres morum ſuavitate commendatus: Thomas quoque Montius, in Provincia Dominicana Magiſter, atque in Collegio de Propaganda, quamdiu hic fuit, ſacræ Theol. profeſſor.*

5. *Dominicus Berardelli Auguſtinienſis Ex-provinc., publicus fuit in Maceratenſi Lyceo Profeſſor, a. 1578., cujus vitam ſcripſit typis edendam Cl. Vir Joannes Franciſcus Lancellottus de Staphylo. Ex pluribus ejus Literis ad amicos.*

6. *Joannes Baptiſta Ruffo Soc. Jeſu Sacerdos, ac Theologus, divini Verbi præco indefeſſus, Peruanos, & Mexicanos portentis, ac monitis erudivit. V. ejus Vitam MS. apud Familiam, & Provinciales literas Societatis.*

Nec minus in me ingens Sapientum (a) obmurmurat
Ignotumque diu ſe latuiſſe dolet. (agmen,
Qui patrium vertere ſolum, quos Exedra pernox,
Perdiaque, aut fixit Coa, Arabumque ducum,
Aut

7. Baſilius Fidus de Altidona Soc. Jeſu Sacerdos, Hebraicæ, ac Græcæ linguæ peritiſſimus, eximius fuit per 20. annos concionator. V. Alegambe Bibliothecam Scriptorum Soc. Auctor fuit, ut Societas Jeſu a Publico, & Generali Concilio huc vocaretur, quod ipſe paulo ante in hac Civitate verbum Dei per totam Quadrageſimam ingenti cum fructu adminiſtraverat. V. Conciliorum, & Cernitarum Codic., cui titulus = Concilia, & Cernitæ 1586. 1587.

8. Hieronymus, & Ignatius de Savinis Soc. Jeſu Sacerd. Quadrageſimales Conciones, & Panegyricas Orationes typis ediderunt. Annibal de Adamis præter multa Opuſcula, & Poematia, Romæ edidit Vieiræ Italice reddidit Conciones, & Latine Sperelli Epiſcopum. Romæ, & alibi multis annis ſacras habuit Conciones. V. Alegambe Biblioth.

9. Julius Solimani, de quo ſupra, Soc. Jeſu Sacerd. Theologiam publice Firmi, & Philoſophiam Pragæ docuit, ubi aliquot etiam Orationes habuit, ac typis edidit. V cit. Alegambe Biblioth.

10. Baltaſar Francolinus Senior, Societatis item Jeſu Sacerd., & ſacræ Theologiæ Magiſter, typis Romæ hæc edidit: Tyrocinium Theologicum, de Dolore ad Sacrament. Pænit., Benignitas Eccleſiæ in ſacram. Pœnit. Clericus Romanus, Apologia Clerici Rom. Diſciplina Pœnitentiæ.

(a) Sch. Philoſophorum, qui hac facultate præditi Philoſophiæ laude floruerunt.

Aut fecere pares Babylonia ſigna magiſtro
Pæne Tarentino, ſicelidæque ſeni.
Horon (*a*) Parthenope Firmanũ, Hetrūſca (*b*) Cononem
Accitum audivit Pallas, & obſtupuit.

L

(a) *Joſuen Caucium, qui celeberrimus fuit Aſtrologus, ut conſtat ex vetuſta ejus picta imagine in Firmano PP. Eremitarum Excalceatorum Cænobio, cum hac Epigraphe: = Joſues Cautius Civis Firm. Clementis PP. VII., & Raymundi de Cardona Neapolis Pro Rege Medicus, & Aſtrologus inſignis obiit an.* 1533. *ætat.* 83. = *De eo V. Panell. To.* 2. *pag.* 408., *Moriciana MS.*, & *Cl. Viri Joannis Franciſci Lancellotti Picena monumenta.*

(b) *Hoſtilius Ricci præſtantiſſimus fuit Mathematicus. Duo proferam teſtimonia, quæ a Cl. V. Tiraboſchio afferuntur, Italice ſcripta, & typis edita. Primo quidem in Vita, & Operibus Galilei pag.* 64. = *Vivendo allora Meſſer Oſtilio Ricci da Fermo, Mattematico de' Signori Paggi di quell' Altezza di Toſcana, e dipoi Lettore delle Mattematiche nello ſtudio Fiorentino, il quale come famigliariſſimo di ſuo Padre, giornalmente frequentava la ſua Caſa, a queſti ſi accoſtò il Galilei, pregandolo iſtantemente, a dichiarargli qualche Propoſizione di Euclide, ma però ſenza ſaputa del Padre. Parve al Ricci di dover ſaziare queſta virtuoſa brama del giovane Galileo, ma volle ben conferirlo al Sig. Vincenzo, eſortandolo a permettere, che il figliuolo riceveſſe queſta ſodisfazione. Cedè il Padre alle iſtanze dell' amico..... Cominciò dunque il Ricci ad introdurre il Sig. Galileo nelle ſolite eſplicazioni delle Definizioni, Aſſiomi, Poſtulati. Proſeguendo il Ricci le ſue Lezioni, s' accorſe il Padre, che il Galileo traſcurava la Medicina ec.* =

Foſſilium, cruſtarum, onychû genera omnia (a) Petro
Obvia, & Eoæ quælibet ora plagæ.
Singula callenti naturæ arcana patebant;
Unaque poſt cineres gloria nomen alit.

Alteram deinde teſtimonium ex Hiſtoria Magni Etruriæ Ducatus ſub gubernio Mediceo T. 3. lib. 5. cap. 13. pag. 193. Florentiæ impreſſa an. 1781. = Leggeva Mattematiche in Piſa nel 1588. D. Filippo Fantoni Camaldoleſe, ed in Firenze era Mattematico di Corte Oſtilio Ricci di Fermo, quello, di cui ſi valſe il gran Duca per diriggere le Fortificazioni dell' Iſola di Uff, e di Domegues..... & pag. 194., Oſtilio Ricci ebbe il merito di eſſere il primo Maeſtro di Galileo Galilei, e di operare, che nel 1598. otteneſſe in Piſa la Cattedra di Mattematiche. = Servantur adbuc apud Ricci hæredes plures Hoſtilii literæ, quibus ipſe ſe ſubſcribit Magni illius Ducatus Mathematicum.

(a) *Cl. V. Petrus Aſſalti de Aquaviva illuſtri Firm. ditionis oppido, non ſolum Latini, Græci, atque Hebraici ſermonis, ſed Orientalium idiomatum pene omnium peritiſſimus in Romano Sapientiæ Archigymnaſio, Botanices, Anatomiæ, ac Medicinæ primarius Lector fuit, atque in Mathematicis diſciplinis, quas delicias ipſe ſuas appellabat, apprime verſatus. Apud eruditos omnes, ac pene totius Europæ Academias magni fuit. In Vaticana vero Bibliotheca, cujus illi cura, & cuſtodia inprimis fuerat demandata, ita ingenium ſuum excoluit, ut ſummum eruditionis apicem tetigiſſe videretur. Celebre Mercati opus, cui titulus* Pontificia Metallotheca, *hortante clariſſimo Viro Lanciſio, eruditiſſimis adnotationibus marte ſuo, ut plurimi Scriptores teſtantur, illuſtravit, editumque, ſuppreſſo ob modeſtiam nomine, Clementi XI. P. M. dicavit.*

Huic ſtudio innumeri junxere Machaonis artem;
Egreſſa eſt multis hinc panacæa malis.
Hæc mea Phœbigenas, ſectaque Coronidis (*a*) alvo
Non unum gaudet ſe genuiſſe parens.
Qui ſcriptis, voce, atque adytis tribuere medelam;
Romaque (*b*) noſtratem languida ſenſit opem.
Non qua longævam dare Taliſmanica (*c*) vitam
Fingitur, aut mendax aureus ipſe liquor.

L 2

(a) *Alluditur ad Coronidem Nympham, ex qua Apollo fertur genuiſſe Æſculapium ab utero cæſæ Matris extractum. V. Mytholog.*

(b) *Inter clariſſimos olim Pontificios Medicos fuit Sanctes Flocco, cujus extat Epitaphium in Templo Aræ Cæli, quod refert Mandoſius;*

„ Flocca domus, nomen mihi Sanctes, patria Firmū;
„ Scriptor eram, & Medicus, Paule ſecundè, tuus.
„ Vixit a. XLIIII. Obiit IV. Non. Octobr. Fratri
„ concordiali Nicolaus Floccus B. M. poſuit „. Nicolaus autem hic ejus frater Patavii legebat Avicennam lib. 3. ex Thomaſſino de Patavino Gymnaſio pag. 327. & ex Riccobono de eodem Gymnaſio, qui meminit etiam Andreæ Flocco ibidem Sophiſticæ Lectoris. In Rubr. Prioralis Archivii vulgo il Tedeſco *reperitur Antonius quidam Caucius Anconæ Medicus an.* 1411. *in publica vincula conjectus, ignoratur cauſa, & Marchiæ Legato conſignandus, cum cæteris, quos poſtea repertos innoxios Card. Angelus S. Georgii Pontif. Vicarius abſolvit. Ex pergam. exiſtente in Arch. PP. Conventual. Faleroni, cujus exemplum per me tranſcriptum ſervatur in noſtro Archivio.*

(c) *Artis Taliſmanicæ, a Taliſmanis, (vox eſt barbara) hoc eſt æreis numiſmatibus, cæleſtis alicujus ſideris imaginem exhibentibus, ejuſque in fluxum at-*

Hermetiſve latex, vis aut Magnetica, & hidri
Virus, quæ & fallunt omnia ſæpe fidem.
At quæ telluris quocumque e germine Parcam,
Lethiferamque luem certius herba domat.
Æterni ſermonis erunt tribus edita chartis
Scripta tua, Antoni (*a*), posteriorque liber.

trahentibus, ad omnia mala depellenda, Apollonium Thyanæum auctorem putant. V. Dictionar. Chambers Lit. T.

(a) *Antonius Porti, Syxto V. P. M. acceptiſſimus, ejuſque Medicus, plura ſcripſit, & typis edidit Romæ apud Dominicum Baſam an.* 1584., *de Peſte libros tres, de Morbillis lib. unum. Honorificam tanti Viri mentionem faciunt, Vander Linden de ſcriptis Medicis, Horatius Augenii Epiſtolarum, Medicarumque conſultat. To.* 2., *Mandos. de Archiatris Pontificiis, & Baldus Baldi, cui cariſſimus fuerat, Diſſertat. Apologet. de Opobalſamo Orientali. Ipſe, filii, & poſteri Rom. Civitate donati, ex authent. S. P. Q. R. diplomate. Tres filios immatura morte præreptos hoc deflevit Epitaphio, quod in Lateranenſi Baſilica ad eorum ſepulchrum erexit:*

D. O. M.

„ *Bernardino Porto hujus Eccleſiæ Canonico, Utri-*
„ *uſq. Signat. Ref. Abbreviatori Parci Majoris Pro-*
„ *tonot. Apoſt. Particip. qui ab ipſa pueritia magnæ*
„ *pietatis, & Religionis, aliarumq. virtutum omni-*
„ *bus ſpecimen dedit, cum ad majora properaret, morte*
„ *præventus eſt: Alexandro Porto viro ſtrenuo, & œ-*
„ *conomica laude inprimis ornato: Fabio Porto adole-*
„ *ſcenti bonæ ſpei, & Humanioribus Literis erudito*
„ *Antonius Portus Patrit. Firm., & Rom. Civis pa-*
„ *ter mæſtiſſimus dulciſſimis filiis poſuit: Vixit Ber-*

Digitized by Google

Sæva reformidant artem contagia, nuſquam
    Depaſcit teneram puſtula victa cutem.
Hinc tecum extulerat meritorum fama nepotes,
    Spemque tibi longam pignora trina dabant.
Horum importuno ſuccidit forfice linum
    Trux Libitina, & adhuc ad pia buſta doles.
Parce tamen lachrymis; diuturna in ſæcula prolem,
    Semideum affinem provida fata parant.
Nomine ſed qui te referet, venientibus annis,
    Non unum (hei miſero!) flebile funus aget.
Pontia (*a*), qua longe pomaria Sequana ludit,
    Cum natis uxor non reditura parit.
Flebitis extinctam Nymphæ, graviuſque dolebis
    Saucia crudeli vulnere Clara ſoror.
Nunc age Hieronymi (*b*) pietate inſignis, & uſu
    Muſa fidem, (Nerius dat monumenta) refer.

„ *nardinus a. XLII. Menſ. II. dies XXIII. Obiit VII.*
„ *Cal. ſeptemb. M. DCXVI. Vixit Alexander an. XLI.*
„ *Menſ. II. dies XIX. Obiit Idib. Febr. ejuſdem an-*
„ *ni. Vixit Fabius an. XVII. Menſ. III. dies XXI.*
„ *Obiit X. Cal. Maji M. DLXXIX.*

(a) *Antonii Comitis Porti pronepotis Maria uxor tres uno partu enixa filios in Pontio pomario apud Gallos, quo tuendæ valetudinis gratia, & ſororem ſuam ibi degentem inviſum ſe contulerat, ibidem una cum filiis morte præreptis vita deceſſit, an.* 1782.

(b) *Hieronymus Cordella inſignis Medicus, de quo non pauci Scriptores honorifice meminerunt, inprimiſque Calcaneus in Recinetenſi Hiſtoria, & Baccius in Vita D. Philippi Nerii lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 3., *in præcipuis Italiæ Urbibus Medicinam publice profeſſus eſt, ac Romæ potiſſimum, ubi Card. Farneſii, ac deinde Clementis VIII. P. M. Medicus denique deſigna-*

Digitized by Google

Major Appollinea languentes arte levabat;
Et prece, & arte ſimul venit inempta ſalus.
Fortunate; Senex morienti idem adfuit abſens,
Mutuus in finem quem ſociarat amor.
Ad te etiam, medicæ pars o pulcherrima famæ,
Romule (*a*), dignũ eadem carmina laude, vocas.
Quo te miſerunt, non vana oracula complet
Regina, & Proceres, Chriſtiadumque pater.
Largius inſinuantur opes; gratuſque homini, & Diis
Ad pia cum refluo fœnore gazan emis.
Biſquini ſurgunt Myſtæ, ſacrique (*b*) trientes
Ante Arabum Reges liba diurna litant:

tus. Ob eximiam ejus pietatem, ſummamque doctrinam D. Philippus Nerius mirifice dilexit, obitumque multo ante ei prædixit, cui etiam abſens in extremis hortator fuit, cum eodem ferme tempore domi degeret.

(a) *Romulus Spetioli Firm. in multis Piceni oppidis Medicinam profeſſus, Ven. ſervi Dei Antonii Graſſi divinantis hortatu, Romam venit, Cardinali Decio Azzolini ab eodem per literas commendatus, qui eum benigne excepit, & Chriſtinæ Svecorum Reginæ commendavit. Hinc non modo hujus, ſed poſt ejus obitum plurium Principum Romanorum, & Cardinalium, ac denique Alexandri VIII. P. M. reſignatus eſt Medicus. Haud ita multo poſt ſacris initiatus, pluribus ab eodem Pontifice auctus eſt Sacerdotiis.*

(b) *Idem Romulus bonorum hæredem inſtituit Firmanum Soc. Jeſu Sacrarium, (vulgo* Sacriſtia *) variis, piiſque Legatis gravatum, ut inſculpta in ipſo ſacello declarat inſcriptio: „ D. O. M. Abb. Romu„ lus Spetiolus Firm. in patrimonium X. Clericorum „ pauperum ad ſacros Ordines promovendorum, & ab „ Archiep. Firm. ad formam teſtamenti eligendorum,*

Digitized by Google

Denſantur plutei: micat aurea pyxis; & ardent;
Cum redit in plenum Martia Luna, faces.
Cellam ornant Parii lapides, æternaque lampas;
Arte Myronæa ducitur urna Deci.
Auctori cum divinos decernet honores
Vaticanum, æris millia plura locas.
Hæc noſtris utinam accedant, ut cætera, faſtis;
Non ſeges hiſtorici corporis uber erit?

„ *fructus C. Locorum Montis S. Petri legavit; deficientibus autem omnibus, aut aliquo ex Clericis, „ donec alii ſufficiantur, eos fructus in ſacram hujus „ Sacrarii ſupellectilem impendi voluit. A. S. 1723. „ Menſ. Maji die 25. = . Præterea perpetuam Cappellaniam ad Altare SS. trium Magorum in eadem Eccleſia fundavit. Metropolitanæ Eccl. C. libras ceræ pro comprecatione XL. Horarum, quinquagenas in diem accendendas; Eidemque Metropol. Umbellam, & auratam Pyxidem reliquit, ut patet ex ibidem poſita inſcriptione, = „ Abbati Romulo Spetioli erga Metropo„ liticum hoc Templum pietate, munificentia, cordis „ obſequio, auri, aureæque Umbellæ corporato Numini „ tegendo, Attalico opere, & acu Phrygia pretioſæ, ac „ mirabiliter intextæ, gemmarumque largitione clariſ„ ſimæ Cives Operarii grati animi monumentum po„ ſuerunt, A. D. 1714. Publicæ etiam Bibliothecæ ſuam donavit, dotavitque. SS. Crucifixi in Templo D. Hieronymi de Urbe marmoream Cappellam erexit, perpetua lampade ibidem decreta; & ante Cappellam D. Philippi Nerii Card. Decio Azzolini bene de ſe merito ſarcophagum e marmore excitavit. Denique pro cauſa Beatificat. Ven. ſervi Dei P. Antonii Graſſi 25. Locor M. S. Petri reliquit. Hæc, & plura apud Panell. To. 2. pag. 309.*

Ergo, animæ, quibus ingenium, vireſque, laborem
Sumite; rerum ingens copia mollit iter.
Laudandi occurrent reliqui (*a*), quorum obruit agmen,
Æternat dias & medicina manus.
Rerum urbanarum rudis, indigeſtaque moles
Intervalla operis poſcit ad æqua libros.
Non priſcæ Urbis Ephemerides (*b*), non Fragmina (*c*)
Civica non referens Ilias (*d*) arma latet. (deſunt,
Diviſumque volumen (*e*) adeſt, vindexque (*f*) libellus
Alter, & a prima condita mitra die (*g*).

Ac

(a) *Medici* Theù chires, *hoc eſt*, *Dei manus appellati*. *Innumeros celebriores Medicos vide apud Panell. Tom* 2.

(b) *Antonius Nicolai Notar. ſui temporis Hiſtoriam*, *ſeu Diarium MS. reliquit*.

(c) *Franciſcus Adami Metropol. Eccl. Canonicus Romæ typis edidit de rebus in Firmana Civitate geſtis Fragmentorum lib.* 2. *uſque ad an.* 1456.

(d) *Joannes Paulus Montani Italice ſcripſit Annalia ab an.* 1445. *ad an.* 1525. *Antonii Nicolai*, & *Franciſci Adami hiſtoriam ſubſecutus*. *Apud familiæ hæredes extat autographum*, *ut a publico ejus exemplo colligitur*, *quod in familia de Battirelli exiſtit*.

(e) *Jacobus Raccamadori Metropol. Ecc. Canonicus de Firmanis rebus MS. Commentariorum ſcripſit libros duos omnium judicio comprobatos*. *Itemque Libellum unum de omnibus Deiparæ ad Mare miraculis*, *cultuſque origine typis edidit*, *Firmi ſæpius impreſſum*. *Vincentius præterea Brancadori Firm. Annalia MS. Codice vulgavit*.

(f) *Cæſaris Ottinelli J. U. D.*, *Philoſophi*, & *Medici de Firmana Civitate Hiſtoricum Elogium ad Xyſtum V. Pontif. Max. latine ſcriptum Romæ*, & *Fir-*

Ac niſi deſineret Firmani, & ſanguinis (*a*) Umbri
Hiſtoria, Italiæ clarior una foret.
Quod ſi tantus uti Scriptorum exuberet amnis,
Et ne conantes tardet arena, timor;
Plena miniſtrabunt rerum tabularia fontes;
Multam utero condit quippe papyron abax.
Hic veterum ſtudia, & mores, ignotaque vulgo
Nomina, ibi tenebras, increpitantque moram.
Cui noti artifices, cui noſtras dictus (*b*) Apelles?
Non dolet obſcuram multa tabella manum?

M

mi editum fuit, & Firm. Fragm. adnexum. Nicolai Herioni Metrop. Eccl. Archidiaconi Calendarium, ejuſque Epiſtola Apologetica de Firm. Civitatis Juribus vindicatis. Itemque Cæſaris Herioni in Rom. Curia Advocati de Firm. Civitatis juribus vindiciæ contra adverſarios. Romæ ſunt editæ.

(g) *Michael Catalani Metropol. Eccl. Canonicus præter Opuſcula tria de Piceni Indigenis, de Firmanæ Urbis origine, & monumentis, itemque de Firmanis Numiſmatibus, typis etiam de Firmana Eccleſia, ejuſque Epiſcopis Commentarios edidit. Adjungi poſſunt plures quoque diſſertationes de Piceno, de Cupra maritima, de Firm. Navali antiquo, ſive Emporio &c. a Cl. V. Joſepho Colucio editæ.*

(a) *Cæſar Orlandi Firm. & Aſſiſiens. Patritius volumina quinque de præcipuis Italiæ Civitatibus typis mandavit. Quod tamen opus Auctoris obitu eſt intermiſſum.*

(b) *Laurentius Primarius, vulgo* il Lorenzino *Firm. Pictor inſignis, & ſuavis etiam Citharædus, ut variæ ejus picturæ teſtantur in pluribus Piceni urbibus, quarum una eſt D. Franciſci Saleſii imago in Eccl. Firm. PP. Minimorum Cœnobii. Ab ejus diſciplina*

Riciadum at centum quocumque vagantibus annos (*a*)
Par tabulis ætas priſca, recenſque minor.

prodiit Joſeph Ghezius de Communantia celeberrimus Pictor. Ita Cl. V. Joannes Franciſcus Lancellottus, & P. Peregrinus A. Orlandi in Pictor. Abecedar. Lit. L. & G.

(a) *Ricciorum Familia centum ab hinc annis, & ultra Firmi pingendi arte claret. Primus ex ea familia Alexander Urbini oriundus Firmum venit, atque hic ſedem, ac domicilium collocavit, uxoremque duxit. Ubaldus, Gregorius, & Natalis ejus filii patris exemplum in tabulis ſcite pingendis ſunt ſecuti, ſicut & Philippus Natalis filius, vir quietam ſenectutem agens, ac duobus donatus liberis, qui & ipſi adhuc adoleſcentes non exigua cum ſpe progreſſus picturæ dant operam. Nec prætereunda Lucia ex Ubaldo nata, Monialis Virgo extra Clauſtra, pingendi artis non imperita, quæ quintum ſupra nonageſimum annum adhuc apud nos proſpere agit. Nimis longum eſſet ſingulas enumerare Tabulas, Altarium præſertim, quæ in hac Civitate, Archidiœceſi, & in tota Piceni provincia a præfatis Riccis depictæ conſpiciuntur. Nonnullas, quæ hic præ oculis habentur, indicare ſufficiat: Tabulam nempe de Præſentatione B. M. V. in Sacrario S. Dominici, opus Alexandri, ut ſupra, Urbinatis; Tabulæ S. Felicis a Cantalicio in Eccleſia PP. Capuccinorum, & alteram D. Gregorii Magni in Eccleſia Parrochiali ſub titulo ejuſd. Sancti, opus Ubaldi. Altaris Tabulam S. Joannis Evangeliſtæ in Paræcia SS. Coſmæ & Damiani, & alteram Divi Antonii de Padua in Templo PP. Conventualium pinxit Natalis. Tabulæ vero S. Camilli de Lellis apud PP. Minimos: S. Aloyſii Gonzagæ in Templo D. Ignatii; SS. Crucifixi*

Digitized by Google

Non abſunt Polycleteæ monumenta (*a*) palæſtræ,
Ligna, æra, & lapides, & ſimulacra Deum.
Auguſti miramur adhuc ſpecularia templi
Serpere Firmani (*b*) Mentoris in radios:
Perluſtrandæ operum moles, Ninoque labores
Pene pares, ipſi pene Semiramidi.

M 2

in Eccleſia Confraternitatis S. Mariæ, vulgo del Pianto*: SS. Coſmæ & Damiani in Altari principe prædictæ Paræciæ, præter cæteras, opera ſunt Philippi.* Hæc nota addita eſt ab A. R. D. Cajetano Ricci Philippi Germano.

(a) *Non defuere in hac Urbe egregii ſculptores, quorum opera paſſim. Ex his eminent Joannis Meſtichelli lignea Deiparæ, ac Divorum ſimulacra, quæ ad religionem mirifice inflammant.*

(b) *Inter medii ævi ſculptores excellens fuit Jacobus ille Palmerius, cujus adhuc mirandum opus exiſtit, orbiculata feneſtra lapidea ſuper vetuſtioris Metropolitanæ Eccleſiæ janua principe ad Occid. In interiori enim illius parte convexa Auctoris nomen inſculptum legitur:* Magiſter Jacobus Palmerius hoc opus fecit: *Cui reſpondet ab exteriore parte inſcriptio lapidea ſuper ipſam feneſtram. Obiit Firmi, & in eodem templo ſepultus eſt, juxta mediam olim Auſtralem januam, & veterem aram D. Joſepho dicatam. ut ex lapide ibidem poſito:* Hoc eſt ſepulchrum Magiſtri Jacobi Palmerii. *Et in loco repertum eſt nuper lapideum ejuſdem ſepulchrum. Ejus familia hucuſque viguit, ex eaque fuit, qui præterito ſæculo Chartam Topograph. delineavit, cum illa legantur diſtincta numeris nonnulla ædificia Religioſorum Ordinum, & Collegiorum, quæ nunc minime ſuperſunt.*

Digitized by Google

Collis in adſcenſu clivoſi nuper ad arcem,
    Principe qua Urbano (*a*) glarea abacta ſedet;
Rupis ad Auſtralem extremo ſub margine partem,
    Inde per adverſam ducta (*b*) theatra viam;
Pieridis fundata domus, ſceniſque futuris,
    Nympharumque levi ſæpe agitanda pede.
Cui quondam externi invideant, ſerique nepotes
    Per noctem carpant otia, perque diem.
Sed nova, qua herboſo protenditur area campo,
    Digna Deo ſedes, Virgine dicta rapit;
E vetere exciſa, tamquam poſt fata (*c*) renaſcens
    Altera, ab exuviis pullulat Ales Arabs.
Auguſto non quam Vates (*d*) deſcripſerat olim,
    Metatamque decem, quam dabat ille, pedam.

(a) *Urbano Card. Paracciani Archiep. an.* 1771. *complanata eſt via, quæ ducit ad Giroſalcum, ut ex Lapide ad parietem publice conſtituto.*

(b) *Ædificatum eſt an.* 1785. *Optimatium ſumptibus ingens Theatrum in ſummo rupis margine ad Auſtrum, eidemque complanatæ jam viæ tranſverſum.*

(c) *Major Eccleſia, ſeu nunc Metropolitana ter condita dici poteſt ad Borealem Gerionis partem extremam; primo quidem ſæculo quinto Longobardorum Regum temporibus juxta Cæſaris Ottinelli hiſtoricam relationem ad Xyſtum V.; idque confirmat idem Pontifex in Bulla erectionis Cathedralis Eccleſiæ in Metropolitanam. V. etiam Saraceni Anconitanam Hiſtor. Deinde ſæculo XII. poſt ejus, ac totius pene Civitatis devaſtationem, ut ſuperius diximus. Hac etiam proſtremo exciſa an.* 1781. *ædificari cæpta eſt tertia ſub Andrea de Comitibus Minuciis Archiepiſcopo, multo latior, atque elegantior, de qua nunc mentio.*

(d) *Virg. Georg.* 3. *Templum Honoris, & Æter-*

Non mente hæc ſolum, at poſitis molimina fulcis;
Sumptus (*a*) non ſterilis Muſa redemit opus.
Magnum opus, auſum ingens, & inenarrabile textũ,
Altius humano lumine conſilium;
Intentatum aliis, tua maxima cura, (*b*) Minucci,
Quique inſtat (*c*), rumpens per tua juſſa moram.
Tanta Ædes nullum interitum, finemque videbit,
Bina ut Leucadio (*d*) dente retusa parens.
Non, ut Tarpeji ſaxum patris, utque labavit
Pax (*e*) æterna, ſuo concidet iſta solo.
Clarior hæc operis ſpecies, ævoque minorum (*f*)
Perpetuum nomen linea docta feret.

nitatis Auguſto Cæſari ita deſignat.
Et viridi in campo templum de marmore ponã &c.
(a) *Novi bujuſce Templi ſumptus* 50. *fere bucuſque æris millia computantur; de quo paulo infra.*
(b) *Andreas ex Comitibus Minuciis Firm. Archiepiſcopus Metropolitanam veterem ſenio, & partium enormitate, priſco more, ſatis vietam, atque incommodam exſcindi pene totam juſſit, novamque ibidem, ut paulo ſuperius dictum eſt, excitari, ac perfici. Cui quidem operi abſolvendo ære ſuo, bucuſque aureorum* 9000. *erogavit, ac pro Ara maxima conſtruenda* 1400. *Quid pro Virginis Simulacro ibi collocando, cæteriſque ornatibus duplo majorem pecuniæ copiam depoſcentibus?*
(c) *Ludovicus Porti Metropolit. Primicerius, ipſius fabricæ Præfectus, & Curator.*
(d) *Priores Cathedrales duæ temporum injuria conſumptæ.* Chronus, *boc eſt tempus Leucade præcipue colebatur, natos, Urbes, & monumenta mandens.*
(e) *Pacis templum æternum Romæ fuerat.*
(f) *Hoc eſt, Poſterorum, quia poſteri minores dicuntur relate ad majores ætate. Ita ſæpe apud Poetas, ac*

Digitized by Google

Scriptores æternabunt, ipſique poetæ,
    (Poſſim ego, ſi tribuet longa ſenecta dies?)
Ridebunt caſſam ingluviem mandonis avari (*a*),
    Molis ubi alternis ſingula membra canent (*b*).
Hinc, atque hinc (*c*) aras ſibi reſpondere quaternas,
    Cumque alis templi pila coire tribus.
Ac totidem alterna teſtudine ſurgere cellas;
    E quibus arcanum ſegregat una Deum
Luce repercuſſas depicti fornicis umbras
    Inter ſe illudi, decipi ab arte tholon.
Reginam in medio tolli ſuper aſtra volantem,
    (Quantum in ea eſt inſtar, quā pia corda trahit!)
Egreſſam e tumulo ad vitam: glomerantur Ephœbi
    Cœleſtes: Procerum viſibus urna ſubeſt.
Jamque Tymantheo (*d*) curvata ſedilia cœlo;
    Bina utrimque ſacros dividit aula Patres.

præcipue Virgil., qui Eneid. l. 1. ſub finem ſic ait.
Oenotrii coluere viri, nunc fama minores &c.

(a) *Tempus, ut proxime diximus, omnia mandit, ac devorat, unde ei mandonis nomen aptiſſime tribui poteſt.*

(b) *Fore confidimus, ut noſtri poetæ certatim peracta novi Templi conſecratione, in laudem ejus ituri ſint, & de ſymmetria ac diſpoſitione partium elegantiſſima vel privatim, vel publice multa dicturi; inprimiſque Archiepiſcopi tam bene de omnibus, & Metropolitano Templo meriti ſtudium, ac munificentiam commendent.*

(c) *Novi Metropolitici Templi paulo longior, & moroſa fortaſſe deſcriptio videbitur, eaque de re aures mihi Zoili quidam vellicabunt. Sed hoc apud poetas in levi etiam argumento ad delectationem non omnino inuſitatum. Quid vero dixerint, ædepol non laboro.*

(d) *Tymanthes, ſeu Cyprius Zeuxis ſtatuarii diſci-*

Indigetum de more adyta, & ſua buſta ſub Ædem
Latius egeſta reddita nuper humo.
Adjunctos etiam cuſtodi, operæque receſſus;
Et pandi quinas undique, ut ante, fores.
O ſuperum domus, Urbis honos, & gloria! Major
Dædalea (*a*) es Vatis condita ab ingenio.
Haud procul hinc veniunt pia ſepta, ubi (*b*) cærula veſtis,
Et ceu fonte artes tonſa juventa bibit.
Non ſimplex operis ſpecies; eſt ardua moles,
Cujus ab antiquo rudere nata baſis.
Quinaque diſtinctam capiunt conclavia pubem,
Et per centenos itur ad illa gradus.
Auguſtæ pene æqua Ædi, ſupereminet Urbem,
Metiturque apicem culminis ipſe ſubex.

pulus, ſeu Bernardus Florentinus Vaſari diſcipulus, de quo ipſe Vaſarus p. 3. l. 2. fol. 281. *ambo fuerunt eximii ſculptores. Metonym. pro Firm. ſculptoribus, qui nunc in Metropol. ſcamnorum ſculptura occupantur. V. Orland. Pictoricum Alphabet. in ſuis Literis pag.* 35., & 94.

(a) *V. Virgil. Æneid. lib. 6. ſub initium, ubi Apollinis templum a Dædalo excitatum poeta fabuloſe ita deſcribit:*

Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo,
Inſuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem ſuper aſtitit arce.
Redditus his primum terris tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum, poſuitque immania templa &c.

(b) *Ven. Clericorum Collegium, ſive Seminarium; auctore Card. Paracciani Archiep., a fundamentis excitatum, ab Andrea Minucio Archiep. abſolutum; ab illo internum, ab altero vero externum, duobus Lapidibus conſtat.*

Extimaque internæ tetragoni ſorma cohæret,
Interna quamvis extima viſa minor.
Illa ſub Urbano, fuit hæc fundata, Minucci,
Auſpice Te; æternat nomen utrumque labor.
Finitima huic ſenis patet area fulta columnis,
Sacra Tibi, alma inopes commiſerata (*a*) Parens.
Mota olim, per Te majorum pectora fatis
Hanc miſeris, junctos & ſtatuere lares.
Languore hoc primum, ſenio, morboque gravatis,
Atque peregrini litoris hoſpitium
Quos ingens late collecta pecunia fratrum,
Traditus hinc operæ pinguis alebat ager.
At nunc ſervat idem centum (*b*) penetrale puellas,
Quas nec uterque parens, nec ſua novit humus;
Extorres

(a) *Templum S. Mariæ Charitatis, ſeu Novellæ Seminario eidem conjungitur. An.* 1345. *complures Viri nobiles huic Templo nuper extructo domicilium, ſive Hoſpitale addiderunt pro Invalidis, Senibus, Ægrotis, Orphanis, & Peregrinis, obtenta prius a Fr. Jacobo Firmano tunc Epiſcopo facultate tum inter ſe juxta Leges ab eodem approbatas coeundi, tum eleemoſynas a fidelibus ad pium hoc opus corrogandi. Quod quidem Inſtitutum vulgo* la Fraternita *nuncupatum, jura, ac privilegia plurimi poſtea Romani Pontifices confirmarunt. V. plurium Epiſcoporum, Summorumque Pontificum Bull. in ejuſdem Hoſpitalis Archivio exiſtentes. Ab eo tempore, ac deinde plura pio huic operi prædia attributa ſunt, & Legata relicta; ut ab innumeris Inſtrumentis, Teſtamentiſque ibidem aſſervatis oſtenditur. V. etiam Archiep. Alexandri Borgia ea de re Homil.*

(b) *Projectarum Virginum nunc domicilium, ſeu Nothotrophium vetus nomen retinens Hoſpitalis, igno-*

Extorres, dubium ſudere ubi viſcera partum,
Evicta & juſſas a nece abire. fuga.
Priſca tamen ſedes, Urbano Præſide (*a*), cæpit
Extendi, ut pueris altera aperta domus.
Et ſubcreſcentes itidem genitoribus orbas
Præſidium nivei tecta pudoris habent.
Hæc ſervanda, (*b*) Minuciade, tibi cura, laborque
Alter, & extremam laus poſuiſſe manum.
Prima pueritiæ fuerant inimica ſaluti,
Cœca, & bubonum pervia ſepta gregi.

N

tum eſt, quo potiſſimum anno veteri invalidorum, ſenum, infirmorum, orphanorum, & advenarum marium ſit ſuffectum Hoſpitali. In lapide ſub oſtiolum externum, ubi infantes clam deponuntur, verſiculum legimus: Suſcipit hic pietas, quos abjecere parentes. M. D. LXXVI.

(a) *Urbanus Card. Paracciani Archiep. ampliorem ejuſdem domicilii ambitum deſignavit, incboavitque ædificium. Abſolvit alterum, ubi Projecti mares nunc educantur; Vetus Orphanarum Virginum domicilium ſane anguſtum reſtauravit, auxit, & legibus a Joanne Baptiſta Rinuccino Archiep. propoſitis novas addidit, quas Andreas Minucci Archiep. nonnibil immutatas, atque auctas typis edidit.*

(b) *Andreas Minuccius Archiep. ampliſſimum Projectarum perfecit ædificium tamquam Apoſtolicus Delegatus, ab omnibus tum Firmanæ Urbis, tum Diœceſeos Piis Locis, & Religioſorum Virorum, ac Virginum Monaſteriis ære conlato, tam pro ejuſdem fabrica, quam utriuſque domicilii puellarum, & marium ſuſtentatione, graviſſimiſque, ac neceſſariis ſtipendiis pro Miniſtris, Cappellanis duobus, cæteriſque Adjutoribus, atque Educatricibus juxta Regulas ab eodem Archiep. ſalubriter inſtitutas.*

Digitized by Google

Sed nunc quam nitidi circum crevere penates!
    Fas modo lætitiæ luce parente frui.
Jam Cœli adſpectus, multoque ſalubrior æther,
    Virgineos animos, quam fuit ante, levat.
Quatuor his patuere cubilia, ternaque ſubſunt,
    Fervet ubi aſſiduum textilis artis opus.
Quale Gynæceum, ſeu par, aut majus ab ævo
    Vidimus? Hic ipſam Pallada adeſſe reor.
Flecte alio, mea Muſa, oculos, totamque per Urbem
    Sacra Deo, ac Divis ardua tecta refer.
Admiranda vides fundamina; pleraque tantum
    Collige, quæ ad portas (a), & propiora vocant.

(a) *Ad Occidentalem urbis portam, quam Romanam, ſeu D. Marci appellant, excitatum nuper eſt PP. D. Auguſtini Eremitarum ampliſſimum Cœnobium; Ad Auſtralem, ſeu D. Catharinæ, Sacerdotum Miſſionis, ut vocant, ſatis elegans domicilium: ad Marinam D. Franciſci Conventual. Templum a Bonifacii IX. temporibus excitatum, & an. 1504. perfectum, omnium in Urbe celeberrimum, nunc denique fronte ipſius ſatiſcente, reſtauratum eſt Cœnobii expenſis, redditumque elegantius: Extra vero eamdem portam Deiparæ ab Angelo ſalutatæ ſacellum olim ſub titulo D. Martini in Varano, deinde non ita anguſtum D. Jacobi de Marchia opera cum Cœnobia PP. Minorum Ord. de Obſerv. extructum; ſub Card. denique Ginnetti Archiep. amplificatum, ornatumque fronte, ac proſpectu ſatis eleganti; ſed injuria temporum, & aquæductibus in dies ſatiſcens, piorum tandem eleemoſynis, ac potiſſimum Graffineano legato fuit ex integro ædificatum, latiuſque, ac magnificentius extenſum pene ad tecti faſtigium, pecuniæ vero defectu modo interruptum: In media demum Civitate, ut alia omittam, Oratorii D.*

Tum, qui hanc Picena amplificant ſuper oppida ſedem,
 Magnifici ſumptus, aeriique (*a*) lares.
Marmoreæ, ſculptæque pilo ad faſtigia frontes,
 Non Memphi abſimiles forte, Rhodoque pares,
Altera ab antiqua facies, tumuloque parentis
 Inde novam in lucem filia nata venit.
Fracta repoſcebat ſenio pars maxima muros;
 Latronum inſidiis obvia ſemper erat.
Obſtruxit ſecura ſui quacumque meatus;
 Circum inſtauratis mœnibus orta quies.
Tot laticum terræ liquet intra viſcera venas
 Serpere, & ad muros ſtagna latentis aquæ.
Exundant paſſim, totidemque ad mœnia fontes;
 Unde æſtate homines, & pecus omne bibit.
Digreſſum ſi quem juvet ad ſolatia, pandunt
 Se ſpatia, & per agrum qua via ab urbe fugit.
Latior illa ſuburbanis, quæ hinc flectit ad amnem,
 Adriacum hinc litus vero bicornis adit.
Jam vetera adnectit vicini ſublica Tinnæ
 Rudera, aquæ metam prætereuntis obex.
Non ille urbana, ut quondam, veſtigia lædit;
 Tutaque Eleuſinæ pondera matris eunt.
Umbroſas inter platanos, pede lanea molli
 Exultat Nais; ridet ab amne pater.
Salve, Tinna pater, qui e fontibus Apennini
 Ad mare collectum grandior agmen agis.
Non certum natura quidem conceſſerat alveum;
 Incertum ars hominum nunc tibi frænat iter.

N 2

Philippi Nerii nobiliſſimum domicilium.

(a) *Plurimæ Optimatium ædes altiſſimæ nuper excitatæ, ſuis quæque frontibus ad Urbis ornatum perquam elegantes.*

Ergo age, Piceni regnatrix inclyta, gaude;
Atque una e reliquis effer ad aſtra caput.
Circum agri faciles, juga picta, hortique coronant,
Vincta, atque ovium vellera, poma, favi.
Te quercus, cypariſſus, & ulmus, & æſchylus, umbræ,
Ripæque, & rivi, ſena fluenta, lacus.
Fortuna in gremium delabitur aurea cornu
Cum pleno, atque ferax aggerit annus opes.
Non dolus hic, non livor edax, faſtuſque, rigorque,
Fuſilis ira, & opum non maleſana ſitis.
Sed, quod pace tua (pacem dabis, optima mater;
Sunt oculi teſtes, publica pondus habent:)
Te dicam Cœlo adſcitam &, non fallor, alumnos
Diis genitos, quibus eſt indita dia Fides.
Unus, & idem amor, & concordia, pax bona cives
Jungit, ut antiquos aurea ſæcla lares.
Si qua tamen fervent odia, & per compita rixæ,
Hoc vulgi eſt; vulgus fœda popina vomit.
Mobile vulgus abi; non hi te aluere penates;
Tecta pares ſuperis, Indigeteſque colunt.
Felicem populum, cui primo riſit ab ortu,
Cum fuit huc pubes vecta Sabina, Deus.
Romanæ virtutis adhuc in te illa vigebunt
Semina, & ejuſdem ſanguinis ille calor;
Qui te ſemper alet, perque Itala regna viciſſim
Inde, atque huc tædas duxit amicus Hymen.
Mantua (*a*), Parthenope (*b*), Peruſina (*c*), & Romula (*d*) tellus,
Et Picenipotens (*e*) fœdere juncta domus.

(a) *Dianam Horatii Paccaroni filiam duxit uxorem Aloyſius Gonzaga e Mantuæ Ducibus. V. Menoch. Conſilior. lib.* 4. *num.* 351., *& Paccaronæ familiæ authentica MS.*

Firmana Teuton (*a*) deciſam ex arbore tædam
Non ſine felici ducere paſſus ave.
Quæ tulit Heroina parenti gaudia Colli!
Quantam at lætitiam Sequana Sylva capit!
Huc Viridi (*b*) de Monte ſubit face flammeus Hymen,
Has Lucina ferax tangere digna fores.

(b) *Literio Joſepho Caracciolo Patricio Neapolit. ex Marchionibus Brientinis &c. nupſit Maria Sophia Rufo Patricia Firm. an.* 1767. *V. Caracciolæ familiæ Genealogiam Neapoli typis editam pag.* 68.

(c) *Thomas Eufredutius Oliverotti frater uxorem habuit nobilem feminam ex famil. de Oddis Peruſinam. V. quæ ſuperius dicta ſunt de Ludovico Eufredutio.*

(d) *Antiqua eſt Sabioniæ familiæ cognatio cum Urſinis Proceribus, quorum nomen, & ſtemma adjunctum illa retinet, ut nobiliſſimæ gentis, & novorum Principum ſolemni declaratione, utriuſque conjunctionis memoria vigeret impoſterum.*

(e) *Troilo Azzolino nupſit Dña Mita familiæ poſtrema de Brunforte, quæ originem duxiſſe fertur ab Hugone Capeto II. Gallorum Rege, qui cum a ſe deſcendentibus regnum tenuit ab an.* 988. *uſque ad an.* 1223. *Eorum vero Gualterius Comes cum Neapoleone, & Friderico filiis in Italiam venit; qui quidem domini fuere Caſtrorum in Piceno, Brunfortis nempe, Podii, Caſtri veteris, Plebiæ, Montis Fortini, Gualdi, Pinnæ S. Joannis &c. Vide Sarnani Hiſtoriam, & Fanutii Campani a multis ſcriptoribus relatam.*

(a) *Saxoniæ Principi Xaverio nupta eſt Comitiſſa Clara de Spinuciorum familia.*

(b) *Mercenarii de M. Viridi potentis Viri filia nupſit in familia Sabionum. Ex authenticis hujus documentis. Baccalarii vero de eodem loco Vannecta nupſit*

Externa hic etiam connubia; rector aquarum
  Adria (*a*) Zeniadum pignora bina dedit.
Invicti Pugilis, ſibi quam deſponderat enſe,
  Virtuti merces Hungara (*b*) Virgo data eſt.
Multi illam Auſtriaca Proceres de gente petebant,
  Sponſali fuerat debita palma ſolo.
Hoc etiam haud impar Cybele, Ateſtina (*c*) propago,
  Limen ab Eridani tranſtulit arce pedem.

Jannino Zeno, ut conſtat ex publico Quietationis inſtrumento de accepta dote in favorem ipſius Vannectæ conſanguineorum an. 1330.

(a) *Marcus Zeno Venetæ claſſis imperator, cum in his partibus eſſet, ſorores duas, quas habebat, Conteſſam alteram familiæ de Bertachinis nuptui dedit, alteram Penteſileam Antonio Fedeli; quæ quidem Hieremiam filiam; & Marci Zeno nepotem uxorem dedit Vincentio Sabioni. Ex authentico Firmani Senatus Diplom. Dat. III. Calend. Decembr. M. DCI. apud hæredes.*

(b) *Hevam Roſinam Avesberghiam Viennenſem uxorem a multis expetitam Claudius Martello Firm. ſingulari certamine victor obtinuit; cum in Hungaria exercitu pro Cæſare contra Turcas militaret. Illa autem pie in hac Urbe deceſſit, quo tandem fuerat a Viro ſuo deducta. Ex authenticis ſane plurimis familiæ documentis.*

(c) *Laura de nobiliſſima Ateſtina, vulgo* Eſtenſe, *ac Taſſonia familia Ferrarienſis Cæſari Co. Paccaronio nupta fuit, vultus elegantia, morum ſuavitate, cæteris ornata virtutibus, ac filiorum copia, non immerito Cybelæ comparata. De hoc autem dicto nuptiali* Transferre limen pedem, *ideſt*, Ferre pedem trans limen omine cum bono, *Catullus*.

Digitized by Google

Evulſi hinc alio rami (*a*) expetiere jugales
Umbrigenas, Venetos, Gnoſſiacoſque toros.
Hos vero ad fines, fama eſt, migraſſe Pelasgos;
Eque Ciſalpinis agmina multa plagis.
Quæ nova ab Odryſiis ad noſtras transfuga terris
Turma per Adriacas velificavit aquas?
Flens Epiros (*b*), & Ægæi queſta inſula ponti,
Materno avulſam mœret abire ſinu.
Thracius ut regni Martem (*c*) caput expulit hoſtis,
Oppreſſitqe gravi litora capta jugo.
Italiæ, atque adeo Picenas venit ad oras,
Heroum invictas Numine agente rates.

(a) *Variæ hinc nobilium familiæ demigrarunt; de Orlandis Aſſiſium in Umbria, de qua ſupra, de Raccamadoris Utinum Foro Livii apud Venetos, de Conſtantinis ad Inſulam Creten; ibique perpetuam Sedem ſtatuere. Vide Jacobi Raccamadori Chron. MS., Ughell. ubi de Sulpicio Conſtantini Epiſcopo, & ſingularum MS. Genealog. Hiſtor.*

(b) *Albanenſium, & Chiæ inſulæ optimates ſub finem ſæculi XV. huc profugi conceſſerunt, humaniter a Firmanis excepti. V. Firm. Concil. Codices.*

(c) *Scanderbegio, ſive Georgio Caſtrioto Albaniæ olim Epiri Principe, qui duas, & viginti victorias a Turcis reportaverat, captamque ab eis Crojam regni caput in libertatem bis redegerat, inimicis ſibi ſemper infeſtis, apud Venetos tandem recepto, ubi Chriſtianorum Principum ſubſidia expectabat, ibique an.* 1467. *vita glorioſe defuncto; Maumethes II. Turcarum Imperator, Urbe, ac regione illa, tanto propugnaculo deſtituta, potitus eſt, ob eamque cauſam plurimæ inde familiæ, ne Fidei periculum ſubirent, ad hæc loca venerunt.*

Conſtitit hic, & amica ſibi gens advena poſcit
  Hoſpitia; amplexa eſt patria Semideos (*a*).
O Superis dilecta cohors, cui providus æther
  Excubuit, ne tum præda Othomanna fores.
Priſca hominum pietas, duris exercita fatis,
  Et geſta in Thraces ſoſpite bella Duce,
Corda movent; neque enim fuerant ignara malorum
  Ante (*b*); cicatrices nec bene duruerant.
Tum quia militiæ (*c*), pelagique, & Palladis artem
  Hauſerat e Græco fonte colonus eques.
Mater amans generos illa de gente trahebat;
  Viſus & hinc primi (*d*) ſurgere ſanguis avi.

Queis

(a) *Juſtinianorum familia omnium nobiliſſima, ab inſula Chio eodem ferme tempore, eademque de cauſa huc venit, cum illorum nomina in relato Concil. Codice ſæpe occurrant, inprimiſque Bartholomæi Equitis, qui Barbaram Vincentii Sabioni filiam Marci Zeno pronepotem, ut ſuperius dictum eſt, duxit uxorem, ut ex ſupracit. Senatus diplomate. Hæc vero familia potiſſimum ob ejus merita, ac nobilitatem inter Patricias fuerat jam relata.*

(b) *Sub ea ferme tempora, quibus huc venerant Albanenſes, excuſſum fuerat a Firmana Civitate tyrannicum jugum impotentium Dominorum, ut ſupra dictum eſt.*

(c) *Ex pluribus Concil. Codicibus Sæcali XVI., necnon ex variis tunc temporis elegantium carminum collectaneis hic, & alibi in lucem editis patet, plurimos Albanenſes, qui hanc Civitatem incolebant, militia, nautica, mercatura, & liberalibus diſciplinis, utpote Græcos homines valuiſſe.*

(d) *Picenos Aborigenes, nempe Siculos, Liburnos, ac poſtea Sabinos recole, de quibus libri hujus initio.*

Digitized by Google

Queis, de more fovens ultro pia vota, Senatus
Annuerat leges, & rata feſta (*a*) coli.
Si penes hæredem (*b*) Tibi ſacra altaria fumant,
Virginis Anna parens, & Tibi Diva Venus;
Veſtra ope conjurent Reges, tumuloque reſurgens,
Tandem in Latrones Caſtrius alter eat.

O

(a) *Albanenſium, & Chiorum familiæ, quarum præcipua nomina hæc ſunt, Juſtinianorum, Nicolai, Prentis, Martelli, Martini, Majoris &c. unanimi conſilio inſtituerunt in Eccl. S. Mariæ Charitatis, vulgo* della Fraternita, *ad honorem S. Annæ, & S. Veneris V. & M. nationis Patronæ Cappellam, ac piam ſocietatem juxta Capitula, quæ ſequuntur, a DD. Prioribus, & S. C. approbata an. 1523., & a. 1600. confirmata, videlicet: P. P. C. F. = Cum ex antiquo ritu noſtræ Civitatis, Albanenſes, qui in ea incolunt, S. Annæ, ac D. Veneris, quam gentis ſuæ Patronam colunt, votiva, atque annua dona perſolvere conſueverint, quo facilius id implere valeant, ad noſtram Concionem, ſive Cernitam ſupplicationes inter ipſos prius initas porrexerunt, ut illis per Cernitam approbatis, tamquam privatis legibus uterentur; Quarum conditionum, atque Ordinationum tenor talis eſt &c. Eaſdem Conventiones in publica concione lectas, & approbatas, præſentium tenore confirmamus &c. = Ita ex authentico Diplomate pecudino, & Codice quodam papyraceo Priorali Curiæ nuper tradito, & donato.*

(b) *Diſſoluta jamdiu pia Albanenſium ſocietate, ejuſdem Cappellam, ac dotem Urbanus tandem Parraciani Card. Archiep. Majorum familiæ ſuperſtiti in perpetuum attribuit. Ex publ. Inſtrumento Ceſſionis, ac Donationis.*

Digitized by Google

Corda Deo ſacrorum hominum, lacrymæque piarum
Virginū, ad hæc flectant vos, totidemq; (*a*)Tribus.
Sic fatis placitum (*b*) accipio, fore ſcilicet olim,
Romanam ut repetat Thracia Roma Fidem.
Ad te nunc venio, cui dives Etruria mater,
Turma, ſed a priſco noſtra tribulis (*c*) avo.
Cum late ſerpens fureret diſcordia fratrum,
Paſſim & civili cæde ruberet humus.
Compitus Urbe tuo accepit de nomine (*d*) nomen;
Atque alimenta Nothis (*e*) additus auxit ager.
Tempeſtate illa tetigiſti has, Inſuber (*f*) oras
Dives opum, & Ligures, Cenomanumque genus.

(a) *Religioſorum Firmi Cænobia decem, Pœnitentium Virginum Monaſteria nunc quinque, Paraciæ novem; antiquitus illa multo plurà.*

(b) *Simile quid haberi novimus in vaticinio quodam fide digno aſſervato inter cæteras res memorabiles in archiviis cujuſdam domus Religioſæ Neapoli.*

(c) *Guelforum, & Gibellinorum per Italiam graſſantibus paſſim factionibus, plurimæ Etruriæ familiæ ad hanc Civitatem, ceu firmiſſimū præſidiū demigrarunt.*

(d) *Tanta fuit Florentinorum multitudo, qui domicilium hic poſuerunt, ut nationis nomine una ex Firmanis regionibus* Florentia *vulgo diceretur. Vocabulum adhuc viget.*

(e) *Matthæus de Matthæis, nobilis Florentinus, & Lucia ejus uxor, Antonii Jacobutii filia, Firm. nobilis, mutuo conſenſu ſua bona omnia, hoc eſt, Montis Guarminis partem Ven. Hoſpitali tunc invalidorum &c. nunc Nothotrophio ex Teſtamento reliquerunt. V. amborum Teſtamenta, quæ in ejuſdem Nothotrophii archivio aſſervantur.*

(f) *Labente ſæculo XIV. multæ Mediolanenſium, &*

Digitized by Google

Bergomatium familiæ Optimates huc venerunt, quorum præcipua nomina nunc ſuperſunt, Roſati, Mora, de Raccamadoris, Rota, Moſchenis, Butta &c. V. publicos ejus Nationis Codices in Arch. ſocietatis Deiparæ de Laureto. Ex familia autem Rota plurimi Cl. Viri extiterunt. V. Ephemerid. Bergamenſ., & Bergomi Hiſtor. Plures etiam Ligurum familiæ ad hanc civitatem advenerunt ſub eadem tempora publico ejuſdem S. C., quod rei nauticæ eſſent peritiſſimi. Sæpiſſime enim, ac diu, præſertim Sæculo XVI. operam, atque induſtriam omnem per eos Firmani adhibuerunt, ut Navale, ſeu Portum in ora fluminis Ætæ ædificarent, potiſſimum Syxti V. Pontificis auctoritate, & conſilio. V. publicos Concil. & Cernit. codices ejuſdem temporis. De vetere Navali Firmanorum recole, quæ ſuperius dicta ſunt. Juvat hic addere, non paucas aduc exiſtere, tum in ora maritima, tum in agro Firmano, atque alibi in tota Urbis ditione veterum ſpecularum reliquias ſibi reſpondentes, ex iiſque nonnullas omnino integras in ipſa etiam Civitate. Videmus præterea integrum Caſtro S. Georgii imminens propugnaculum, ſive Arcem fortiſſimam ſub finem ſæculi XIII. excitatam ad repellendos hoſtium, & piratarum impetus repentinos, cum hoc apertiſſime oſtendant rythmici verſus lapide inſculpti, & arcis ipſius oſtio præfixi, qui ſequuntur, videlicet:

Urbs o Firmana, tibi ſervo litora ſana,
Facta tibi clavis, portus, tutelaque, navis;
Dans felix omen, ſumo de Martyre nomen.
Hoc opus eſt clauſtri factum, tutelaque Caſtri,
Quando currebat Domini milleſimus annus,
Et bis centenus, cum ſeptem, ſex, decieſque,
Tempore, quo Venetus Dominus Laurentius olim
Progenies veneranda Ducis Jacobi quoque Teupi
Urbem Firmanam rexit per tempora ſanam.

Digitized by Google

Non tam opibus clari, & conſanguinate potentes,
Quam priſca in ſuperos relligione viri.
Inſtaurata ſagittifero ſtetit ara (*a*) Patrono,
Flectit ubi ad clivum ſumma platea latus.
Inde tripartitam conjunxit porticus Ædem;
Suſtentant cameras pila (*b*) Roſata decem.
Prædiaque, & ſacros operi adjecere miniſtros;
Obſignata hominum (*c*) jura ſenatus habet.

(a) *Quamplurimi Bergomates, qui tunc temporis hanc civitatem incolebant, conlato ære, S. Sebaſtiani M. Cappellam in Eccleſia S. Rochi erexerunt, quæ an.* 1504. *piorum pecunia, ac ſtudio imprimis Priorum Populi Civitatis inſtructa fuerat, extincto jam contagio, quod paulo ante ſævierat.*

(b) *Quarto, & vigeſimo poſt anno, addita fuit Eccleſiæ huic porticus a Joanne Franciſco de familia Roſata omnium opulentiſſima, ſingulis decem lapideis columnis gentilitio ſtemmate ſuperpoſito, in quarum extrema, & media baſi hæc extat inſcriptio:* M. D. XXVIII. Joannes Franciſcus Roſati pro ſua devotione.

(c) *Bergomates, qui ſupra, in eadem Eccleſia ſocietatem in honorem S. Sebaſtiani M. inſtituerunt, S. C., & Archiepiſcopi auctoritate approbatam. Precibus enim, quas populi Prioribus Eccleſiæ dominis porrexerunt, ita reſcriptum:* = *In Dei nomine Amen. Anno Domini* 1600. *Noverint univerſi præſentis publicæ conceſſionis, & Privilegii inſtrumenti ſeriem inſpecturi, lecturi, & audituri, qualiter in Cernita fuerunt exhibitæ quædam preces, & conventiones initæ, & factæ pro parte hominum Nationis Bergomenſium, quarum tenor talis, videlicet &c. Et quia in eadem Cernita omnia, & ſingula capitula &c. tamquam juſta, & honeſta, ac illis, & Civitati Firmanæ non indecora,*

Digitized by Google

Ornamenta utinam venturo tranſvehat ævo
Clarior heroi nominis hiſtoria.
Tunc seri legerent exordia prima nepotes,
Perque tot adverſas ſæcla voluta vices.
Inde reſurgentis patriæ incrementa viderent,
Poſt ubi diſcuſſa nube ſerena dies.
Quæque olim tulerat ſenos ruitura Tyrannos,
Nunc ſua jam dominans libera colla movet.
Ergo hæc libertatis amans, paciſque tuendæ
Advena natali prætulit arva ſolo.
Fida ubi pax, & amica quies venientibus ultro
Signum e Firmanis turribus extulerat.
Longius auditum nomen, miſiſſe quotannis,
Qui regerent patriis legibus (*a*), Oenotriam,

approbata fuerunt; ideo nos Priores Populi Civitatis Firmanæ vigore Decreti prædicta omnia confirmamus, approbamus, validamus, & obſervari mandamus ab omnibus, ad quos ſpectat; & in fidem &c. præſentes fieri facimus, cum appenſione noſtri majoris ſigilli, & ſigno noſtri infraſcripti Cancellarii. Loco ✠ Sigilli. Theſeus Talaccius Cancellarius. = *Acceſſit Bulla Emi Cardinalis Bandini Firm. Archiepiſcopi, dat.* 1600. *die* 30. *ſeptembr. Quæ omnia habes in Lapide ad interiorem Eccleſiæ ejuſdem parietem affixo an.* 1671.

(a) *Prætores ſuos nobili genere natos, opibuſque præſtantes e liberis Italiæ Urbibus Firmana Civitas eligebat, qui Jureconſultos duos meritis, æque experientia commendatos, alterum ad Civiles cauſas, ad Criminales alterum, judices deſignatos, totidemque, qui Prætori a conſiliis adeſſent, ſecum ferre debebant. Armata militia ſtipatus Prætor incedebat. V. Firm. Statut. l.* 2. *Rubr.* 6. *Innumeræ porro ſunt in Priorali Archivio Literæ, ab electis Prætoribus ad Senatum*

Digitized by Google

Delectos proceres, quibus & cuſtodia legum,
Atque datum vindex jus, nec inerme latus;
Apparitrices eſſent ante oſtia Diræ,
Quo poſſet quivis incola pace frui;
Tutaque libertas incederet, Annua prætor
Lora capeſſebat: quantus hic Urbis honor!
Quæ magis evecta eſt Famæ pernicibus alis
Urbe mea? populos quæ magis ulla trahit?
Illam ſublimi curru comitata reclinem
Tot titulorum acies, inde tiara, chlamys,
Hinc galeæ, Cœlo delapſa Ancilia, Faſces,
Lauri, Apices, Aquilæ circumiere, Togæ.
Illa etiam induerat ſimilatam cyclada luci,
Sidereo cinctu, ceu Dea, vincta comas.
Majeſtatemque addiderant ad pectora (*a*) gemmæ,
Sive Rhodi, aut Melites, Gallæ, Italæque notæ.

datæ, plenæ humanitatis, & officii, quibus aguntur ei gratiæ. Omnium pulcherrimæ ſunt Neapolionis, ſive Card. Urſini, Raynerii Zeno, & Jacobi Teupoli, amborum poſtea Venetorum Ducum, quas hic transcribere non vacat. Afferam vero ſuo loco, ne pereant, antiqua ſolum nomina Poteſtatum, ſeu Prætorum a XII. ſæculo uſque ad XVI. pene dimidium, quamdiu a Firmana Urbe, juxta ejus ſtatuta, eligebantur, ſtudio Alexandri Borgia Firm. olim Archiep., prout in ejuſdem MS. Codice, ſuis digeſta temporibus ſunt deſcripta. Omittentur autem Pontificum Rom. Nepotes, qui S.C. a Firmanis Civibus advocati Prætoris munus impoſterum habuerunt, & reliqui, qui Pontificum nomine ad noſtra uſque tempora adepti ſunt Præfecturā. De quibus tamen alias, ſi Deus, & vita faveat; pulcherrimā enim de Firmanis rebus Hiſtoriam abunde ſuppeditant.

(a) *Plures Firmanorum familiæ tum antiquis, tum*

Digitized by Google

maxime noviſſimis temporibus Equeſtria ornamenta ſunt aſſecutæ. Reperiuntur enim non pauci in pervetuſtis ſcriptis, ſculptiſque monumentis Militum titulo inſigniti; quo nomine ii deſignabantur, qui Imperatorum, Regumque auctoritate in Equitum cenſu erant adſcripti; ita ut quoties aliquis clarus, & potens Miles legitur, Eques fuiſſe intelligatur. Multi quoque poſteriori ævo ex Ordine S. Michaelis, qui primus in Galliæ regno fuit Ordo, Equites extiterunt. Deinde a Sæculo XII. S. Joannis Hieroſolymitani Religioni nomen dederunt, cum adhuc Rhodi Equites imperabant; & cum poſtea ſub Carolo V. in Melitenſem Inſulam ſunt traducti. Innumeri denique S. Stephani, & SS. Mauritii, & Lazari, aliiſque hujuſmodi Inſtitutis pro temporum vice militarunt. Quorum nominum Indicem texere ſupervacaneum puto, cum illorum, & horum Equitum nomina cuique obvia eſſe poſſint, cum in Firm. Fragm. Libro ſæpiſſime occurrant, & apud plurimas hujus Urbis familias Optimates in eorum Archiviis aſſerventur, ac præcipue de Mattheuccis, Montanis, De-Pedibus, De Calvuccis, Guerreriis, Adamis, Evangeliſtis, Nobilibus, Paccaronis, Sabionibus &c. Quamplurima porro eorum Equitum Cænobia, atque Oratoria, ſeu Sacella, in hac Civitate, atque in tota Ditione Firmana, ampliſſimo ſane cenſu ditata, non minus Majorum noſtrorum pietatem adſtruunt, qui ea fundarunt, quam Civium quoque copiam, ac numerum omnino ingentem, qui in iiſdem Monaſteriis, quæ hodie Commendæ appellantur, voti religione adſtricti, Militarem habitum, & Ordinum ornamenta per plura ſæcula ſuſcepere. Quæ quidem omnia Firmanorum ſplendorem plane oſtendunt, ac nobiliſſimam dignitatem, cum per ætates ſingulas evecti fuerint ad ea ornamenta, quæ ſunt in Republ. ampliſſima, Civilia ſcilicet, Sacra, & Militaria.

Digitized by Google

Hoc vultu non illa oculos attolleret ad ſe
Spectatorum hominum, non raperetque moram?
Quid mirum in populos fluxiſſe, per Itala circum
Oppida, & externos hic patuiſſe lares?
Nobilitatis amor, reginæ gratia matris,
Ac virtus acuit, liberiorque ſinus.
Hoc magis eſt, quod adhuc animis, genus unde, ſu-
A priſco numquam degener igne calor, (perſit.
Neſcius imminui, conjurent aſpera quamvis
Fata, atque abſumens omnia tempus edax.
Immortalis erit Firmana potentia: majus
Tollet ab afflicta conditione caput.
Vos modo, delecti juvenes, quos undique Pallas
Advocat huc, patriæ ſiquid adurit amor;
Majorum, precor, offundat ne lumina torpor,
Neu vitæ abſimilis regula lædat avos.
Sed patrum exemplis alacres, invadite callem;
Oſtendunt tritam ſigna relicta viam.
Ut quas ipſi una comites habuere, duceſque,
Fortuna, & virtus vos quoque ad alta levént.
Hoc, quodcumque opus exegi; ſed forte recedet
In ventos vacuum, denſque malignus edet.
Quod nihil huic majeſtatis, nil ſanguinis inſit,
Et depontano languida Muſa pede.
Septenam enneadem, adjecta trieteride bina,
Nam tetigi, & ſparſit cana ſenecta comas.
Naturæ ſupra vires, molemque laborum
Picenæ poteram promere digna Deæ?
Amphitryoniadæ ſi fas Euryſthea durum
Ferre, & Atlantei ſubrigere Orbis onus;
Acris erat virtus illi, juvenilis & ardor;
Non ævum incumbens, ruga neque ulla ſenis.
Sed mihi longævo tamen eſt blanditus Apollo,
Nil merito, vatis nomen & ille dedit.

Quod

Quod monti adrepſi a puero, laurumque momordi
Dente rudi, & fuerat ſemper anhela ſitis.
Illa ſitis, cui non invitæ Heliconides undam,
Si quis ad hoc tempus proluit uſque, negant.
Illuſtres animæ, deliro parcite vati,
Vos, quibus Aonii notior aura jugi.
Nulla placent vobis lutulentæ carmina venæ,
Quæque inter frutices, & loca ſenta fluunt
Carmina non variata: Novenæ odere ſorores,
Faſtiditque auris Delia tale pecus.
Phœbus amat, large quibus affluit Hippocrene,
Quos Grajæque vehunt, Heſperiæque rotæ.
Tuque adeo, alma Parens Piceni, ignoſce labori
Per te exudanti, ſit licet ipſe levis.
Nulla huic pompa, cothurnatæque ſuperbia ſuræ;
In tenui ſudo; celſa cothurnus amat.
Te quæ ergo accinuit leviter, Permeſſia mutans
Flumina cum Tinnæ ſeſſa Thalia vadis,
Excipe jam facilis; dum qualemcumque repono,
Si vis, emeritam barbiton ante pedes.

Digitized by Google

Die 29. Junii 1789.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius M. Gazzoli Ord. Præd. Pro-Vicarius Gen. S. Officii Firmi.

Die 3. Julii 1789.

IMPRIMATUR

Joſephus Nicolaus Archid. Herionus J. U. D. Rev. Dep.

CASTRORUM CATALOGUS.

Caſtra omnia Firmanæ Ditionis diſtincta ſunt in gradus tres, quorum hic indicem ſubnectimus, prout in Statuti veteris Lib. 2. Rubr. 25.

Majorum Caſtrorum Nomina.

Caſtrum Gruptarũ ad Mare
Caſtrum Petrituli
Caſtrum Serviliani
Caſtrum Falleroni
Caſtrum, ſeu Terra Montis Florum
Caſtrum Sancti Angeli in Pontano
Caſtrum Lauri
Caſtrum Moliani
Caſtrum Montis Sancti Petri ultra Tennam.

Mediocrium Caſtrorum Nomina.

Caſtrum Sancti Benedicti
Caſtrum Maſſegnani
Caſtrum Campiſilonis
Caſtrum Altidonæ
Caſtrum Lapidonæ
Caſtrum Medii
Caſtrum Montis Giberti
Caſtrum Rapagnani
Caſtrum Turris Palmarũ
Caſtrum Belmontis
Caſtrum Montis Falconis
Caſtrum Smerilli
Caſtrum Turris Sancti Patritii
Caſtrum Montis Apponis
Caſtrum Gualdi
Caſtrum Montis Actonî
Caſtrum Marani
Caſtrum Portus.

Minorum Caſtrorum Nomina.

Caſtrum Morgnani
Caſtrum Moriſchi
Caſtrum Trocchiarii
Caſtrum Ponzani
Caſtrum Montis Guidonis Combacti
Caſtrum Collinæ
Caſtrum Sancti Petri Morici
Caſtrum Sancti Elpidii Morici
Caſtrum Ortezani
Caſtrum Montis Leonis
Caſtrum Grutarũ Azolinæ

Digitized by Google

Caſtrum Sancti Andreæ
Caſtrum Aquævivæ
Caſtrum Petrioli
Caſtrum Mainardi
Caſtrum Monturani
Caſtrum Francavillæ
Caſtrum Malliani
Caſtrum Ripæ Cerreti
Caſtrum Montis Guidonis Coradi
Caſtrum Maſſæ
Caſtrum montis Viridis
Caſtrum Pedaſii
Caſtrum Buccheblanchæ
Caſtrum Belluchi
Caſtrum Caſtelletæ juxta Petriolum
Caſtrum Mercati
Caſtrum Morumpadarii
Caſtrum Guardiæ
Caſtrum Montis Aquilini
Caſtrum Ripæ Viridis
Caſtrum Partini
Caſtrum Montis Guarminis
Caſtrum Montis Raynaldi
Caſtrum Firmanum
Caſtrum Baſſium
Caſtrum Appezani
Caſtrum Altetæ
Caſtrum Podii Raynaldi
Caſtrum Gabiani
Caſtrum Collicilli
Caſtrum Montis Sicchi
Caſtrum Sanctæ Mariæ Matris Domini
Caſtrum Montoni
Caſtrum Lognani
Caſtrū Montis Sancti Martini juxta Lapedonam
Caſtrum Montis Apponilli
Caſtrum Montis Vinardiſchi
Caſtrum Podii Sanctæ Luciæ
Caſtrum Podii extra Grutas Azolinas
Caſtrum Clarmontis
Caſtrum Caſtri ſubtus Sanctum Elpidium
Caſtrum Bucchiani

Digitized by Google

VETERUM POTESTATUM, SEU PRÆTORUM CHRONOLOGIA.

Baldus Nicolai Florentinus . . . . 1189.
Petrus Lanzius Senenſis . . . . 1191.
Bartholus Gainaldus Florentinus . . . . 1195.
Laurentius Macchiabellus Florent. . . . . . . 1196.
Chriſtophorus Moro Venetus . . . . 1200.
Argolicus Andreoctius . . . . 1208.
Gratianus de Perleonibus . . . . 1211.
Aloyſius Guicciardinus Senenſis . . . . 1222.
Philippus de Perleonibus . . . . 1224.
Ciccus Provenzalis Senenſis . . . . 1228.
Andreuctius Gherardus Senenſis . . . . 1232.
Decius Albertus Florentinus . . . . 1233.
Guillelmus Robertus Regienſis . . . . 1236.
Thomaſſinus Robertus Regienſis . . . . . . 1237.
Hugo Robertus Regienſis . . . . 1238.
Petrus Martellus Florentinus . . . . 1244.
Blaſius Tholomæus Senenſis . . . . 1247.
Raynerius Zeno Venetus . . . . 1252.
Andreas Zeno Venetus . . . . 1253.
Roggerius de Vernaciis Cremonenſis . . . . . 1259.
Jacobus Teupolus Venetus . . . . 1262.
Fabius Ghigius Senenſis . . . . 1265.
Antonius Lanzius Senenſis . . . . 1269.
Mutius Tancredus Senenſis. . . . . 1272.
Neapolion Jacobi Neapolionis . . . . 1278.
Marſilius Patavinus . . . . 1282.
Bonfranciſcus Guarnerius Patav. . . . . 1283.
Sinibaldus Stimandus Tarviſinus . . . . 1284.
Laurentius Teupolus Venetus . . . . 1285.
Thomas Quirinus Venetus . . . . 1286.
Cyprianus Albertus Florentinus . . . . 1287.

Joannes Dandulus Venetus	1288.
Paulus Mazzolenus Ceſenas	1293.
Joannes de Romæis Meſſanenſis	1299.
Egidius	1300.
Joannes Moro Venetus	1306.
Pinus de Vernaciis Cremonenſis	1309.
Petrus Ranaldus de Montorio	1311.
Angelus Cornaro Venetus	1313.
Benedictus Pavonios Florentinus	1315.
Aloyſius Moccenigo Venetus	1317.
Franciſcus Viſpi Florentinus	1318.
Offredus Rheginus	1323.
Rudolfus	1330.
Blaſius Filiucius Florentinus	1332.
Bartholomæus Orlandinus Florentinus	1336.
Philippus Beccarus Placentinus	1341.
Bencada Piccolomineus Senenſis	1342.
Joannes Albertus Florentinus	1347.
Blondus Aldovitus Florentinus	1351.
Gaſpar de Pazzis Florentinus	1355.
Laurentius Orlandinus Florentinus	1359.
Julianus Malvetius Bononienſis	1366.
Matthæus Beccadelli Bononienſis	1371.
Melior Guadagnius Florentinus	1375.
Carolus Caprarius Bononienſis	1378.
Jacobus de Arcipretis Peruſinus	1386.
Blaſius Tholomæus Senenſis	1387.
Laurentius Macchiabellus Florentinus	1388.
Franciſcus de Campello	1389.
Antonius Bragadinus Venetus	1397.
Rubeus Janſiliucius Florentinus	1406.
Albericus Lambertinus Bononienſis	1408.
Franciſcus Foſcarus Venetus	1411.
Bartholomeus Orlandinus Florentinus	1413.

Digitized by Google

Antonius Tancredus Senenſis . . . . 1428.
Georgius Lanzius Senenſis . . . . 1435.
Auguſtinus Barbarigo Venetus . . . . 1438.
Ludovicus de Nigris Savonenſis . . . . 1441.
Stephanus de Comitibus Papienſis . . . . . . 1445.
Georgius Spinola Genuenſis . . . . 1448.
Antonius Lanzius Senenſis . . . . 1449.
Petrus Gambacurta Piſanus . . . . 1450.
Paulus Bernardinus Tifernas . . . . 1453.
Bernardus de Blancaleonibus Spoletanus . . 1454.
Proſper Ferrantinus Ferrarienſis . . . . 1455.
Baptiſta Gerardinus Amerinus . . . . 1458.
Antonius Bonviſius Lucenſis . . . . 1460.
Georgius de Lutis Senenſis . . . . 1461.
Franciſcus de Euſebiis Florentinus . . . . . . 1462.
Petrus Baldellus de Montorio . . . . 1463.
Pertrus Albergatus Bononienſis . . . . 1464.
Raynerius de Pantana Biturgienſis . . . . . . 1466.
Joannes de Pattis Camers . . . . 1467.
Joannes ab Aſta Forolivienſis . . . . 1468.
Marinus Manierius Aquilanus . . . . 1469.
Andreoctius Senucius Senenſis . . . . 1470.
Gregorius Buzzolenus Faventinus . . . . 1471.
Petrus Philippus Martorellus Spoletanus . . . 1472.
Joannes Baptiſta de Monte . . . . 1473.
Petrus Michelini Æſinus . . . . 1474.
Bonfilius de Actis Fulginas . . . . 1475.
Luchinus de Nigrii Savonenſis . . . . 1476.
Africanus Guidobonus Peruſinus . . . . 1477.
Auguſtinus Barbarigo Venetus . . . . 1478.
Matthæus Silveſtrius Nurſinus . . . . 1479.
Baltaſar Aurelius Bononienſis . . . . 1480.
Ludovicus de Paneris Fanenſis . . . . 1481.
Soleon Ferrerius Aretinus . . . . 1482.

Nicolaus Lilius Trebenſis . . . . 1483.
Florianus Bertonius Æſinus . . . . 1484.
Guido Nurſinus . . . . 1485.
Benedictus Pavonius Florentinus . . . . 1486.
Stephanus Manaſſeus Interamnenſis . . . . . . 1487.
Rudolfus Bondadoſi . . . . 1488.
Ludovicus Urſinus Forolivienſis . . . . 1489.
Alexander Morotti . . . . 1490.
Marianus Coronelli Aquilanus . . . . 1491.
Jacobus Paſſarinus Nurſinus . . . . 1492.
Petrus Simon Ghislerius Æſinus . . . . 1493.
Bartholomæus Fortius Callienſis . . . . 1494.
Petrus Donatus Chiramius Aretinus . . . . . . 1495.
Albertus Mantellus Spoletanus . . . . 1496.
Hieronymus Voltadoſius . . . . 1497.
Jacobus Boromæus Patavinus . . . . 1498.
Joannes Marinus Paſqualonius . . . . 1499.
Nicolaus Sacchius Anconitanus . . . . 1501.
Nicolaus Brandiadorus . . . . 1503.
Salomon Teadaſcaldus Lodienſis . . . . 1504.
Joannes Baptiſta de Liguori . . . . 1505.
Gentiles Signorellius Peruſinus . . . . 1506.
Camillus Samparolius Piſaurienſis . . . . 1509.
Fabius Alevolinus . . . . 1510.
Catherinus Silveſtrinus Nurſienſis . . . . 1511.
Joannes Marinus de Medicis Imolenſis . . . . 1512.
Aſcanius Gabucinius Fanenſis . . . . 1531.
Guido Nolfi Fanenſis . . . . 1532.

Poſt iſtos Urbem rexerunt Poteſtates, ſeu Prætores, Summorum Pontificum Nepotes hinc uſque ad annum 1676., & inde reliqui a ſummo Pontifice impoſterum approbati.

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN

Digitized by Google